




6500. F. L. G.
~~1301301902~~

710



F. CASTULI WEIBL

FRANCISCANI

SS. THEOLOGIÆ LECTORIS

DISSERTATIO

DOGMATICA

DE

SACRAMENTALI

CONFESIONE

A

JESU CHRISTO

INSTITUTA,

EJUSQUE NECESSITATE

ADVERSUS

CALVINIANOS.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

LABACI, LITERIS EGERIANIS,

1777

*Si quis negaverit, Confessionem Sacramen-
talem vel institutam, vel ad Salutem
necessariam esse Jure Divino; aut di-
xerit, modum secretae confitendi soli
Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab
initio semper observavit, & observat,
alienum esse ab institutione, & man-
dato Christi, & inventum esse huma-
num; anathema sit.* „ **Conc. Trid.
Sess. 14. Can. 6.**



175406002



PRÆFATIO.

Dogma de Divina Sacramentalis Confessionis institutione, atque necessitate præsentis Dissertationis argumentum est. Tuendum illud adsumpsi adversus posteriorum temporum hæreticos, Calvinianos præcipue, qui garrire non desinunt, & rudibus inculcare, modum secrete confitendi ad aurem Sacerdotis, & peccata lethalia singula post Baptismum patrata enarrandi, quem Romana servat Ecclesia, inventum esse humanum, & recens, alienum ab institutione JESU Christi, & omni retro incognitum vetustati. Quam turpis hæc sit hallucinatio, putidumque mendacium, ignorat nemo, nisi qui in Sacris Literis Novæ Legis, in prisca Ecclesiæ disciplina, in Sanctis Patribus plane hospes est, & peregrinus.

PRÆFATIO.

nus. Quamobrem operæ pretium me facturum duxi, si, quam in meridie coecutiant Novatores, aperirem; quippe homini religioso nihil esse debet antiquius, ac integram, avitamque Ecclesiæ orthodoxæ fidem ab iniquis hæreticorum cavillis, & criminationibus vindicare. Nihil vero hic, quod veritati ferviat confirmandæ, aut inventum a me, aut excogitatum opineris: quæ in Patribus, Virisque de re Dogmatica bene meritis dispersa, & ad præsens institutum facientia reperi, in unam fere hanc lucubratiunculam coegi. Et consulto id quidem; quum omnis novitas antiquæ fidei suspecta sit, atque de rebus dogmaticis differentem docere oporteat, . . . *Quod sibi creditum est, non quod ab se inventum: quod accepit, non quod excogitavit: rem non ingenii, sed Doctrinæ: non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis: rem ab se prolatam, non ab se productam.* „ Vinc. Lirin. adv. Novit. c. 28. Porro quoniam una mihi ante oculos veritas ob-


PRÆFATIO.

obversabatur, sedulo cavi, ne inani-
bus phalerata verborum fucis, sed na-
tivo suo splendescens candore in me-
dium prodiret. „ *Illustrior enim ratio est,*
quæ non fucatur pompa facundiæ, & gra-
tia, sed cui est recti regula, sustinetur.
Absint lenocinia verborum, quæ non tantum
otiosorum auribus placeant, quam ægrorum
mentibus profint. „ Minutius Felix
in Octavio. Quod si aliquando, tum
verum est maxime, quum de rebus
Ecclesiasticis, aut ad fidem pertinenti-
bus agitur; in quibus, ut inquit S. Ju-
lius I. *non specimen eloquentiæ, sed cano-*
nes Apostolorum requiruntur. „ Ep.
ad Eusebian. In id ergo unum incu-
bui, ut & SS. Scripturarum auctorida-
te, & perpetua Ecclesiæ praxi, ac
disciplina, & Patrum præcedentium
sententiis, argumentis, exemplis, nec
interrupta unquam traditione dogma
Catholicum fulcirem; hæc enim arma
præcipua sunt, quibus hæreticorum
pervicacia frangitur. Eo vero con-

PRÆFATIO.

stantius omnem horum impetum susti-
nui, sive a fronte, sive a tergo, sive
a lateribus irruerent; quo certius
mihi est, solidi nihil adferri
posse, quod eorum errori
patrocinetur.





ARTICULUS PRIMUS.

Sacræ Literæ Novæ Legis efficax argumentum suppeditant, quo Sacramentalis Confessionis necessitas e jure Divino promanasse ostenditur; petitæ ex iis hæreticorum rationes refelluntur.

Quamquam non me fugit multiplex adumbratio, & vaticinium, quo in Sacro Legis Antiquæ codice Confessio Sacramentalis delineata videtur; neque tamen Divini hujus muneris five institutionem, five necessitatem ex eodem arcessam. Præstitum id a Summis Viris, a Tertulliano, a Ss. Ambrosio, Joanne Chrysoftomo, Gregorio M. & aliis, quorum syllabum texit, & cum laude meminit Franc. Panigarola ex Ord. Min. Episcopus



Astensis. In discept. Calvinic. Ex horum numero alii, ut Catholicam illustrarent veritatem, ab exemplis Adam, & Cain, quos Dominus ad patrati sceleris accusationem sollicitabat, Gen. c. 3. & c. 4. alii e confessione Achan, quam urgebat Josue, Josue c. 7. v. 19. e variis alii ad faciendam criminum enarrationem hortamentis, e Sacrificiis pro peccato, e præcepto, quo sese leprosi Sacerdotibus ostendere, & hi lepram a lepra discernere jubebantur, profectam e Jure Divino Sacramentalis exomologeseos necessitatem eruere sunt conati. Dignum laudatione consilium, nec obliquis oculorum hircus intuumdum; quum hujus generis argumenta, etsi rem *ἐπιναγκες* haud conficiant, viris tamen alienis a partium studio semper visa fuerint speciem quamdam probabilitatis præferre. At quoniam adversum heterodoxos certis duntaxat argumentis, quæ e sensu mystico in figuris latente difficilius eliciuntur, dimicare constitui, & quia insuper Novæ Legis institutis Confessio Sacramentalis ad censetur, quam adlata symbola non secus, atque Sacrum Ordinem Veteres illæ Levitarum initiationes figurabant; sistam solum in Evangelici Fœderis auctoritate, in quo candide quidem cum Angelico Thoma Q. 6. A. 6. ad 2. Arg. fateor, disertam non fieri Confessionis institutæ mentionem; ejus tamen necessitatem e textu Divino ad legitimi-
ratio-



rationis canones examinato invicte probari
contendo. Age, negotium adgrediamur.

JESUS Christus omnium auctor Sacra-
mentorum ad Petrum conversus, „ *Tibi*, (in-
quit) *dabo claves regni cælorum, & quodcunque*
ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis;
& quodcunque solveris super terram, erit solutum
& in cælis, „ Matth. 16. v. 19. Tum ad
ceteros Apostolos: *Amen dico vobis, quæcun-*
que adligaveritis super terram, erunt ligata &
in cælo; & quæcunque solveritis super terram,
erunt soluta & in cælo. „ Ibid. c. 18. v. 18.
Hæc Servatoris verba, quibus absolvendi a
peccatis potestatem diserte sponderat Apo-
stolis, erant velut arrhæ, velut pignora, ve-
lut rudimenta futuræ post resurrectionem insti-
tutionis Pœnitentiæ Sacramenti; quippe hoc
„ *Tunc præcipue instituit, quum a mortuis exci-*
tatus insufflavisset in Discipulos suos dicens:
Joan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum,*
quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; &
quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam in-
signi factò, & verbis tam perspicuis potestatem
remittendi, & retinendi peccata, ad reconcilian-
dos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, &
eorum legitimis successoribus fuisse communicatam,
universorum Patrum consensus semper intellexit. „
Conc. Trid. Sess. 14. c. 1. Christus igitur
post gloriosam suam anastasin Apostolos, &



legitimos eorum in Sacerdotio Successores, velut ordinarios in foro pœnitentiæ iudices constituit, eisque ligandi, & solvendi, retinendi, & remittendi peccata potestatem impertitus est; dudum enim crudelis eorum error in fumos abiit, qui hac Ecclesiam, ejusque ministros facultate spoliantes, ipsam in Apostolis exspirasse sunt fabulati. Audi, ut hujus aberrationis duces S. Pacianus Præsul Barcinonensis perstringat: „ Quid est illud, ait, quod Apostolis dixit: *Quæcunque ligaveritis in terris, ligata erunt in cælis: & quæcunque solveritis in terris, soluta erunt in cælis?* cur hoc, si ligare hominibus, ac solvere non licebat? an tantum hoc Apostolis licet? ergo & baptizare solis licet, & Spiritum Sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis, quam Apostolis imperatum est? quod si uno in loco & resolutio vinculorum, & Sacramenti potestas datur, aut totum ad nos ex Apostolorum forma, & potestate deductum est, aut nec illud ex decretis relaxatum est. „ Ita Sanctus Antistes Epist. I. ad Sempronian. & rectissime quidem; optimus enim generis humani reparator Pœnitentiæ Sacramentum instituens, & ligandi, solvendique potestatem Apostolis tribuens, quemadmodum prævidit, nunquam defuturos, qui post acceptam in Baptismo gratiam legis prævaricatores existerent: ita perennem in Sacerdotibus, Ecclesiæ ministris, potestatem esse



voluit, qua beneficium absolutionis impertientes, corde contritis & pœnitentibus ceu veri iudices opitularentur.

Verum quomodo Sacerdotes judiciariam hanc in iudeles potestatem exercebunt, nisi hi ad faciendam coram iis adcuratam suorum criminum confessionem adstringantur? magnus mihi quisque de grege Novatorum erit Apollo, qui, qua ratione id recte fieri queat, ad captum explanarit. Non vagam, cœcamve scelerum remittendorum facultatem Sacerdotibus contulit Legislator Divinus, qua sine causæ cognitione, sine discrimine, quibus vellent, quive occurrerent, delictorum facere veniam possent, etiamsi gravitatem eorum, differentiam, statum ignorarent. Quæ nova hæc, & portentosa foret iudicii facies? quæ speranda in sententiæ latione, in pœnis injungendis æquitas, ubi peccatorum & numerus, & species, & adjuncta iudicis cognitioni subtraherentur? „ *Constat*, ajunt sapientissimi Patres Trident. *Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* „ Sess. 14. c. 5. Absit, ut forum Sacramentale, forum tam solemne, ceu ludum quemdam andabatarum existimemus. Sed & illud meminisse juvat, Sacerdo-

tes



tes Novæ Legis per conlatam sibi ligandi, solvendi que potestatem non iudices modo, verum & medicos animarum fuisse constitutos; ex quo pronum est, harum vulneribus eos per opportuna mederi pharmaca haudquaquam posse, nisi a pœnitentibus illa revelentur. „ *Cessabunt opera medici, præclare Alcuinus Flaccus, si vulnera non ostendunt ægroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus expectant, quanto magis vulnera animæ spiritualis medici solatia deposcunt.* „ Epist. 71. Cedro digna sunt Magni Augustini ad peccatorem loquentis verba: „ *Conscientia tua, inquit, saniem conlegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat; adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando secat; adhibet medicinale ferrum in correptionem tribulationis: tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies.* „ In Ps. 66. Num. 7. Idcirco ex quo evidens est, Sacerdotes in Lege Gratiæ ligandi, & solvendi, retinendi, & remittendi peccata potestate præditos, atque adeo conscientiarum iudices, ac medicos animarum a Deo esse designatos, ex eodem quoque Divina Sacramentalis Confessionis institutio, atque necessitas demonstratur.

Hujus argumenti vim persentiscunt hæretici, quo tamen ne videantur oppressi, quid agunt? Sacerdotes in Pœnitentiæ negotio iudices

dices esse, aut prætoria quadam fulgere pœnitentes absolvendi potestate, negant, pernegantque. Quid igitur est, ipsorum iudicio, potestas retinendi, ac remittendi peccata Sacerdotibus concessa? nudum, reponunt, ministerium, nudum legatorum, præconum, nunciorum, aut caduceatorum officium, quo vel decretam a Deo pœnitentibus veniam, vel incredulis & impœnitentibus animadversionem promulgent. Sunt ergo ministri, sunt œconomi, sunt, *dispensatores mysteriorum Dei*, „ I. Cor. 4. v. 1. non iudices, non prætores. Et unde, e Catholicis sciscitantur Calviniani, unde Sacerdotes Novæ Legis conscientiarum arbitros, iudicesve constituitis? E Christi Verbis, Joan. 20. v. 22. respondemus. At si ita, quid impedit, ne Reges magis & Monarchæ, quam Iudices adpellitentur? quippe reum, aut a crimine, quod admisit, absolvere, aut gratia indignum pronunciare, Supremi Principis est supra leges constituti. Mirabile profecto Sectariorum ingenium; quasi qui legati sunt Christi, ministri, dispensatores mysteriorum Dei, servique fidelium, in foro pœnitentiæ iudices esse nequeant, non suprema quidem, ut illi falso arbitrantur, sed precaria, & a Christo accepta auctoritate sententiam pronunciantes. Certe Paulus, qui sese fidelium Corinthiorum servum esse 2. Cor. 4. v. 5. profitetur, sibi non minus competere iudiciariam
in



in eos auctoritatem insinuat. Ibid c. 13. Itaque in foro conscientiae veri iudices existunt, neque, dum poenitentes vel absolvunt, vel ligant, imaginario legatorum, praekonumve munere funguntur. Quid enim? an dixit Christus: „*Quorum remissa esse peccata promulgaveritis &c.*”? „non dixit hoc, sed: „*Quorum remisistis peccata &c.*”, quod proprium est iudicum, non praekonum, non caduceatorum. Examinant ii poenitentium causam, inquirunt, omnibus aequa lance libratis, iudicant, sententiam ferunt. Habemus hanc in rem perspicua Patrum, ut Ss. Jo. Chrysoft. Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii M. testimonia, quae a Card. Bellarmino de Poenit. l. 3. c. 2. a Natale Alexandro Diff. de Sacr. Confess. §. 1. ceterisque adferuntur. Porro quis non rideat ineptam illam consecutionem, qua Sacerdotes Novae Legis regia, nescio qua, & monarchica praediti potestate finguntur, ex quo iudices conscientiarum instituti sunt? an cuiquam tam pinguis Minerva, ut monarcham, vel regem existimet, qui delictorum facere veniam non possit, nisi auctoritate sibi a Principe supremo conlata, & ita conlata, ut nisi secundum leges ab eo statutas, mediis ab ipso praescriptis, ejus denique nomine exerceatur, nulla sit, & inanis? talis autem, neque major est remittendorum criminum potestas a JESU Christo supremo Domino

mino

mino, ac Legislatore Sacerdotibus tributa. Quare veneranda Synodus Tridentina factum, & verba Christi Joan. 20. v. 22. expendens, adducto etiam Patrum universonum consensu, & antiquissima Ecclesiae traditione, rectissime sanxit, Sacerdotes Christi Vicarios, & veluti praesides, & iudices in foro Poenitentiae ab ipso Domino ad caelos adscensuro fuisse constitutos. Sess. 14. c. 1. & 5.

Admittunt parumper heterodoxi, cit. Joannis loco, Sacerdotes conscientiarum arbitros esse designatos; verum nullam inde confessionis necessitatem erui posse contendunt. Quibus porro ducuntur momenti? Ibidem, inquit, de omni generatim peccatorum remissione agitur, sive ea Baptismatis lavacro, sive remedio Poenitentiae obtinenda sit: neque temere id ab se dictum volunt; quum textum illum non alio in sensu praecleari Scripturae commentatores Cornelius Jansenius Gandavenfis, & Joannes Wild, sive Ferus Ord. Min. interpretati sint: idcirco quoniam ab iis, qui Baptismatis fonte regenerantur, nulla peccatorum recensio exigitur, etiam horum propria, atque distincta in specie declaratio iis non erit necessaria, qui suorum in foro conscientiae delictorum remissionem postulant. Ludicra haec iterum cavillatio est, & ab unanimi Patrum consensione abhorrens, qui laudata Chri-



Christi verba de sola potestate remittendi, ac retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ intellexerunt. Unus est S. Cyrillus Alexandrinus, qui eadem ad Baptismi quoque administrationem retulisse videtur. l. 12. in Joan. a quo recedere non duco religioni, quum ceteris Patribus universis ei dissentientibus adhærescam; neque Jansenium, Ferunque moror, etiam celebres alioqui Ss. Literarum interpretes; quotus enim quisque tam excors erit, ut arbitrariam horum expositionem communi Patrum sensui præferat? Hi vero sentiunt, & recte, textum illum de Sacramenti Pœnitentiæ ministerio accipi oportere. Differitur ibi de remittendi peccata, & retinendi potestate, seu de iis, quorum aut retineri peccata valeant, aut remitti; horum in censum non utique veniunt infantes, quibus in Baptismo culpa quidem originalis remitti potest, retineri non potest. Quid enim illud: „ *Quorum retinueritis peccata* „ quid aliud, quam „ *quos ligaveritis* „? dicant porro Novatores, quo pacto ligetur, qui Baptismi fonte renascitur? mihi facillimum est ligamen peccatoris in Pœnitentiæ Sacramento explicare: ligatur, quum indisposito differtur, vel negatur absolutio, quum laboriosis pœnitentiæ operibus adstringitur, quum a mensa Domini, ab Ecclesiæ aditu arcetur &c. Verum quidquid sit, ut ruinosa isthæc machina penitus disjiciatur, mag-

magnum video Baptismum inter, atque Pœnitentiam discrimen versari; nihil in illo retinetur, nemo ligatur, homo Christo tantum renascitur, Ecclesiæ matri adoptatur: ergo, qui baptizat, nudo fungitur Sacramenti ministerio, neque, ut hoc rite defungatur, opus ulla habet eorum, quæ ante Baptismum male gesta sunt, cognitione; in eos enim, qui foris sunt, Paulo teste, 1. Cor. 5. v. 12. nullum Ecclesia iudicium exercet. Ast in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdotes duplici clave ligandi, atque solvendi utuntur, peccata remittunt, ac retinent, peccatorum causas dijudicant, opera satisfactionis decernunt: nudum igitur ministerium non exercent, sed cum ministerio iudicium, cum iudicio animarum ægrotantium curationem, quæ quomodo rite fieri possint, nisi occulta crimina, & putrida conscientiæ vulnera pandantur, lynceis etiam oculis non perviderem. Vid. Cl. Nat. Alexander. l. cit. Sed Confessionis neque apud Matthæum, neque apud Joannem Christus meminit; meminisset porro, si necessariam iudicasset: quemadmodum & Baptismi meminit, & Eucharistiæ. Levius nihil negativa hac Novatorum ratio- cinandi methodo. Non omnia, quæ vel scitu, vel factu necessaria sunt, diserte in S. Scrip- tura exprimuntur. Potestatem retinendi, & remittendi peccata Christus apud Matthæum sponondit, apud Joannem Apostolis, & Sacer- do-



dotibus contulit ; huic vero Confessionis necessitas adeo connexa est, ut vel illam cum pertinacia negare, vel hanc simul agnoscere sit necesse.

Si quid ex productis jam sæpe Christi apud Joannem verbis erui posset, pergunt Calviniani, id unum erueretur, Sacerdotes quidem iudices ordinarios in foro Pœnitentiæ esse deputatos, ita, ut eos a peccatis absolvendi facultate polleant, qui sese ipsorum iudicio libere sistunt ; minime tamen iudices esse necessarios, quasi eorum pedibus advolvi fideles, suaque ipsis ad veniam consequendam detegere crimina oporteret. Quæ enim lex ? quæ necessitas ? quæ ratio ? eccur homini se sistere jubeantur, quum recta ad Deum via confugere possint ? Dum Terræ Princeps litium dirimendarum iudices ordinarios constituit, integrum est litigantibus vel inter sese componere litem, vel recta ad Principem tendere, vel iudicem convenire : cur non idem de causis animarum sentiamus ? Liberam sane culparum, quas veniales nominant, confessionem esse non abnuunt Catholici : idem ergo de mortiferis esto iudicium. Oracula Scripturarum cum Antiqui, tum Novi Fœderis nullam prætensæ confessionis necessitatem agnoscunt. Omni contrito, & vere pœnitenti veniam peccatorum pollicentur ; quin eum ad molestam
hanc

hanc coram homine faciendam exomologesin urgeant; confessionem denique præcipiunt, & frequenter commendant, quæ soli Deo fit. Atque ne dicant Pontificiæ communionis homines; id quidem pro Veteri, non pro Nova Lege probari, non unum adest in Evangelio testimonium, quo jugulentur. Ecce! paradigma Filii prodigi Luc. c. 15. & Publicani pectus tundentis. Luc. c. 18. Pepercit pater filio pœnitenti culpam coram se fasso, nec eum ad famulorum aliquem, cui sua peccata confiteretur, ablegavit. Descendit Publicanus justificatus in domum suam, etsi pœnitens Deo soli crimina sua fuerit confessus. Legimus & Petrum, Ibid. c. 22. & Zachæum, Ibid. c. 19. & mulierem, quæ erat in civitate peccatrix, Ibid. c. 7. veniam delictorum suorum obtinuisse, quin errata sua singillatim in aurem Sacerdotis innumurarent. Remissionem peccatorum frequenter legimus lapsis obtigisse, tantopere jactatæ Confessionis vestigium, aut faciendæ necessitatem nusquam reperimus. Neque Paulus, neque Apostolorum quispiam fidelium confessiones excepisse, vel eos ad faciendam peccatorum confessionem clanculariam compulisse, vel ut eam audirent, exigenterque, Ministris Ecclesiæ præcepisse memoratur. Egit Paulus de variis eorum officiis, non egit usquam de munere Confessarü, aut de confessionis necessitate.



Quare ? nimirum arcanum hoc Papisticum ignoravit. Ubi vero magis necessaria fuisset confessionis mentio, quam ubi de indigne sumentibus Eucharistiam egit? I. Cor. 11. Nonne maxime ibidem congruum erat, ut ad confessionem hortaretur fideles, ne indigne ad mensam Domini convolantes iudicium sibi manducarent, & biberent? quid autem dixit? „ *Probet se ipsum homo:* „ Ibid. v. 28. quo utique omnem coram alio faciendæ confessionis necessitatem exclusit. Convenienter id Legi Gratia; ecquis enim hanc alias deteriore non esse diceret Lege timoris, Judæorum propria, qui nullo confessionis homini faciendæ præcepto tenebantur, si iugo hoc, posteaquam a Christo libertate donati sumus, adstringeremur? Hæc potiora sunt, quæ a Calvinianis ad subruendam confessionis necessitatem e Ss. Literis adferuntur.

Ast argutias istiusmodi non adeo operosum est convellere. Sacerdotes, a Christo iudices ordinarii in foro Pœnitentiæ constituti, non modo facultate pollent omnes eos a peccatis absolvendi, qui rite pœnitentes eorum sese iudicio submitunt; sed peccatores etiam, si a suis absolvi delictis velint; hoc iudicium subeant, est necesse; causa enim hominis cum Deo non alia ratione tractanda, & finienda est, nisi quam ipse Deus instituit; hinc quum
Chri-



Christus in Lege Gratiae Sacramentum Poenitentiae instituens voluerit, ut peccator desiderans reconciliari Sacerdotem adeat, & ab eo solvatur, saluberrimo hoc remedio neglecto perperam ille reconciliationem speraret. Istud autem voluisse Christum, extra omnem dubitationis aleam positum reor; nam Evangelica illa apud Matthæum, & Joannem verba non hunc tantum præferunt sensum, solum in cœlis, & remissum iri, quidquid Sacerdotes in terris remiserint, aut solverint; sed istum quoque: nihil remissum, nihil solum in cœlis iri, nisi quod remissum, solumve a Sacerdotibus fuerit in terris. Negatio isthæc expressa quidem non est ab Evangelistis; „ *Tamen aperte colligitur, inquit Card. Bellarminus, tum ex illa adfirmatione „ Quæcunque solveritis, erunt soluta „ qua Sacerdotes iudices futuri dicuntur in causis contra Deum; tum etiam ex illa „ quæcunque ligaveritis, erunt ligata; ligare enim non solum est novum vinculum addere, ut Excommunicationis; sed etiam vinculum peccati confirmare, ac retinere, ut in alio Evangelista explicatur, & denique nolle solvere. Quodsi possent rei sine Sacerdotum sententia a peccatis absolvi, non esset vera Christi promissio: Quæcunque ligaveritis, erunt ligata. „ De Pœn. l. 3. c. 2. Paritas a terrestri Principe deprompta nihil juvat Novatores; quippe homines privati possunt lites, quibus inter sese*



implicantur, componere, quin ad iudicis ordinarii tribunal adcedant; at lites eas, quas cum ipso Principe habent, componere nequeunt, nisi eum adeant, quem sui loco Princeps iudicem nominavit. Peccator causam cum Deo habet, qui quum iudicium de peccatis in Ecclesia sua Sacerdotibus commiserit, peccator, nisi horum tribunali se sistat, cum Deo reconciliari non potest. Christus instituendo Sacramentum Pœnitentiæ ordinariam Sacerdotibus peccata remittendi potestatem contulit, extra-ordinariam sibi reservavit: idcirco, licet fatear, ipsum extra ordinem ab se positum peccata sine Sacramenti adminiculo remittere posse, & aliquando remittere contritis corde, priusquam Sacramentum suscipiant; noluit tamen, ut homines ad obtinendam scelerum veniam extra-ordinariis confiderent remediis, quum hæc & rara, & incerta sint, sed ordinaria quærere iussit: adeoque ut Baptismi: ita Sacramenti Pœnitentiæ præceptum imposuit. Huic peccata mortalia necessario, venialia libere subjiciuntur; quippe hæc aliis expiari, remittique remediis valent. Vid. S. Augustinus: l. de Fide & Oper. c. ult. hinc nulla hominem cogit necessitas, ut ea Sacerdotum iudicio submittat. At culpæ mortales, Christo ita volente, non remittuntur ordinarie, nisi per pœnitentiæ Sacramentum, atque adeo, nisi earundem coram Sacerdote fiat accusa-



cusatio. Ratio in promptu est; quum illa peccata solvi necessario debeant a Sacerdotibus in terra, quæ cælum claudunt, hominemque ligant coram Deo; proprium id lethalibus culpis, non venialibus item, quæ caritatem quidem minuunt, non extinguunt.


Porro causæ suæ male consulunt Sectarii, dum ad Vetus Testamentum adpellant, in quo constat, Pœnitentiæ Sacramentum nondum exstitisse. Etiam Baptismi nullam illud mentionem reddit, quis tamen de Calvini grege ita lepidus erit, ut ea de causa nunc Baptismi necessitatem inficietur? Oracula Novæ Legis, quæ homini contrito, & vere pœnitenti peccatorum veniam pollicentur, veram in eo supponunt cordis conversionem; hæc non adest, nisi cum observatione mandatorum Christi, aut firmo ea observandi proposito connectatur, inter quæ lex confessionis etiam locum obtinet. Parabola Filii prodigi, & Publicani virtutem Pœnitentiæ, non Sacramentum exprimunt, Deique per eas misericordia in peccatores, quos errasse pœnitet, & maxime in altera Publicani humilitas commendatur. Sed quorsum parabolæ hæc? quorsum etiam Petri, Zachæi, Mulieris peccatricis exempla? narrantur hæc eo tempore contigisse, quo pœnitentiæ Sacramentum nondum fuerat institutum. Num Baptismus ad salutem



necessarius non est, quod multi, antequam a
 Christo institueretur, sine eo salutem consecuti
 sint? in quo tandem Lycæo tam acutam, O
 Novatores! ratiocinandi methodum didicistis?
 Esto vero, confessionem jam fuisse institutam;
 Christus, cujus potestas adligata Sacramentis
 non est, veniam peccatorum absque Sacramen-
 to conferre potuit; ast perperam infertis, nos
 secundum ordinem ab eo institutum veniam
 scelerum sine Sacramentis, & ministerio Sacer-
 dotum impetrare. Longe minoris efficaciam
 sunt, quæ ad elevandam Sacramentalis Con-
 fessionis necessitatem e silentio Apostolorum
 objiciuntur. Deum immortalem! quæ rursus
 Dialectica? Apostoli non leguntur confessiones
 excepisse, eam a fidelibus exegisse, ut eas
 exciperent, Ecclesiam Ministris præcepisse:
 Confessiones igitur non exceperunt, non exe-
 gerunt, eas excipiendi munus Ministris Ec-
 clesiam non præceperunt, quasi, quæcunque ab
 Apostolis gesta sunt, in Ss. Literis enarraren-
 tur. Ego potiori jure sic arguo: Illud a fi-
 delibus exegerunt Apostoli, quod in eorum
 salutem Christus instituit, atque præcepit;
 atqui lethaliæ confessionem peccatorum in
 salutem fidelium Christus instituit, atque præ-
 cepit: ergo peccatorum lethaliæ confessionem
 Apostoli a fidelibus exegerunt. Ast neque in
 Actis, neque in Epistolis Apostolorum ulla
 fit mentio Pædo-Baptismi, num eum tamen
 id-



idcirco quis juris esse divini negabit? Deinde
utilem esse criminum confessionem, ipse non
abnuit Calvinus l. 3. Instit. c. 4. §. 12. pro-
bent vero ejus discipuli, quoniam in loco
Paulus utilitatem hanc commendavit. In eo,
quod ex Epistola I. ad Corinth. proferunt,
ipsi sibi laqueum ponunt, quo implicentur.
Quid enim illud: „ *Probet se ipsum homo?* „
quid aliud, quam: Seipsum examinet, con-
scientiæ latebras exploret, videatque, an
peccati expers sit, ne indigne Domini men-
sam adeat; quod si mortali quodam delicto
conspurcatam inveniatur conscientiam, eam
emundet; quibus vero scopis? nonne mediis
ad curationem animarum a Christo destinatis,
quale est Sacramentum Pœnitentiæ Confessio-
nem, ceu partem, complectens? proinde in
verbis iis, non obscure mandatum præmit-
tendæ Sacramentalis Confessionis ad adcessum
Eucharisticæ mensæ ab iis, qui mortali crimi-
ne polluti sunt, involvi, & significari vide-
tur. Conf. S. Cyprianus l. de Laps. & Conc.
Tridentinum. Sess. 13. c. 7. Addendum du-
xi, textum illum: „ *Multi credentium venie-
bant confitentes, & adnunciantes actus suos* „
Act. 19. v. 18. a S. Joanne Chryostomo, a
S. Basilio, ab Oecumenio: nec non alterum:
„ *Confitemini alterutrum peccata vestra* „ Jac.
5. v. 16. ab Alcuino, a Ven. Beda, ab Hu-
gone Victorino, & aliis, quos Eruditi Viri



Morinus, & Calmet nominant, de Sacramentali Confessione intelligi: falluntur igitur heterodoxi, dum nullum in Apostolorum scriptis confessionis vestigium deprehendi garriunt. Deteriorem vero ea de causa Christianorum sortem, quam illa fuerit Judæorum in Antiqua Lege conditio, criminantur. Melior, non deterior est; per Christum equidem excusso veterum Sacramentorum, ceremoniarum, sacrificiorum, & legalium observationum jugo admodum arduo, & oneroso, „ *Alia nobis Sacramenta, ut inquit S. Augustinus, data sunt, virtute majora, effectu meliora, actu facilia, numero pauciora.* „ l. 9. cont. Faust. c. 13. Quod arduum in Confessione, quod molestum adparet, facillimum, & gratum efficit caritas; neque confessio libertati filiorum Dei repugnat, sed congruit; quum hominem a peccati servitute liberet, qua durior nulla, nec ulla turpior est. Sed & Judæorum populum lege Confessionis quondam fuisse obstrictum, e plurimis eruditionis Hebraicæ monumentis probat Joannes Morinus L. 9. de Administ. Pœn. c. 33. Ecce vero Confessionis ritum, quem apud Judæos obtinere, & in die expiationis observari scribit: Recutitorum quisque mussitando pronunciat, quæ perpetravit, tum bini in peculiarem Scholæ locum recedunt, ibique alter alteri quadraginta ictus flagello scorteo infli-



infligit, dum interea, qui cœditur, delicta sua narrat, & pectus tundit. Non vacat autem commemorandis Judæorum ritibus immorari; sufficiat, cavillationes majori ex parte in fumos abiisse, quas intellectu Ss. Literarum abutentes, temere adversus Divinam Sacramentalis Confessionis institutionem, præceptumque torquent Calviniani, Dallæus maxime, qui quatuor omnino libris Genevæ proculis omnium acerrime dogma istud insectatus est; quem vero, ut de præclaris aliorum conatibus taceam, doctissimus Vir Natalis Alexander Ord. Præd. Dissertatione singulari confutavit penitus, & ad incitas redigit. Jam videamus, præfatæne Confessionis necessitas, ac Divina institutio perpetua Ecclesiæ traditione, constantique Patrum doctrina constabiliatur; quod si præstitero, certo autem Deo auspice me præstiturum spero, luce meridiana clarius adparebit, vel eo ex capite damnandum, atque repudiandum esse novitium Pseudo-Reformatorum heterodoxum, quod primævæ Ecclesiæ sensui, disciplinæ, totique venerandæ antiquitati adverfetur.





ARTICULUS SECUNDUS.

Dogma Catholicum perenni Ecclesie traditione, antiqua disciplina, Patrum uniuersorum consensione, & rationibus inde ductis confirmatur.

Confessionem Sacramentalem nuperum esse dogma, neque notum antea, quam Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. decretum de ea tulisset, ad ravam usque clamitant Calviniani; quod quidem adseuerantes & imperite blaterant, & suis misere imponunt, & (verbo sit venia) putide mentiuntur. Id ut ostendam, in memoriam revocandus est aureus ille D. Augustini Canon: „ *Quod uniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*; Lib. 4. cont. Donat. c. 24. „ at in Sacramentalis Confessionis Dogma uniuersa semper consensit Ecclesia, in nullo illud unquam Concilio institutum, in nullo abrogatum, semper vero retentum est: ab Apostolis igitur ad nos manavit, illudque Apostoli a Christo acceperunt. Propositionem, ut ajunt, minorem tota ratio demonstrat antiquitas: ordior a I. nascentis Ecclesie saeculo, quo Auctor Epistolae
ad



ad Jacobum, quam grajis exarata characteribus Rufinus latinitate donavit, ita loquitur: „ *Quodsi forte in alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præest; . . . quo possit fide integra, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia pervenire.* „ Num. II. Brevi hac verborum periodo & criminum occultorum Sacerdoti faciendam exomologesin, & ejus necessitatem ad évitanda gehennæ incendia expressam contueris. S. Dionysium Areopagitam prætereo, qui Demophilum Epist. 8. redarguisse legitur, quod presbyterum facinorosum ad genua Sacerdotis provolutum, & confiteri volentem, calcaneo repulerit.



Ad Sæculum II. digredior, duosque viros Apostolorum ætati viciniore, S. Irænæum, ac Tertullianum, ceu testes Catholicæ veritatis produco. Narrat ille l. I. adv. Hæref. c. 13. mulieres, & inter has Diaconi cujusdam uxorem, miræ pulchritudinis fœminam, Marci hæresiarchæ præstigiis deceptas, & ab eo vitiatas, amorem impudicum, quo in præstigiatores exarserant, fornicationes item, & adulteria furtiva in Ecclesia Dei fuisse confessas. „ *Hæ (inquit) sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt,*



sunt, se & secundum corpus ab eo contaminatas fuisse, & miro ipsius amore exarsisse. „ (1.) Quid, amabo! mulieres natura pudibundas, & verecundiores ad retegenda flagitia secreta compulit, nisi fides, & Ecclesiæ doctrina, qua norunt, ad eluendas tanti sceleris maculas exomologesin esse necessariam? Neque dicat hic Calvinianus aliquis, Irenæum in incerto reliquisse, illæne mulieres in aurem Sacerdoti, an toti Presbyterio, an Laicis etiam fuerint confessæ; repono enim cum Viris Clarissimis Natale Alexandro, Carolo Wittasio, Honorato Tournelio, Jo. Laurentio Bertio, & aliis, ad substantiam Sacramentalis Confessionis haud pertinere, ut Confessio vel secreta sit, unigue Sacerdoti in aurem fiat: vel palam coram toto Presbyterio, Laicis etiam præsentibus, edatur; hoc enim Confessionis modum respicit, qui ei accidentarius est, salvaque illius substantia variari potest: id solum Sacramentalis Confessionis natura postulat, ut homo peccata quævis lethalia post Baptismum ab se commissa distincte coram Sacerdotibus (quibus, non vero Laicis di-

(1.) Græcus S. Irenæi textus est: „ αὐταὶ πολλάκις ἐπιστρέψασαι εἰς τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ἐξομολογήσαντο καὶ κατὰ τὸ σῶμα ἐχρεῖωσθαι ὑπ' αὐτῶν, καὶ ἐρωτικῶς πάνυ αὐτοὺς περιλήκεναι. „

dictum est: „ *Quorum remiseritis peccata &c.* „)
ad pœnitentiam, & veniam, quæ illius fru-
ctus est, consequendam exponat; quod etiam
in exomologesi mulierum illarum evenisse le-
gimus. Consentanea est responsio isthæc Pa-
tribus Tridentinis ita differentibus: „ *Quoad
modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem,
etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vin-
dictam suorum scelerum, & sui humiliationem,
cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ of-
fensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri
possit; non est tamen hoc Divino præcepto man-
datum, nec satis consulte humana aliqua lege præ-
ciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica
essent confessione aperienda. Unde quum a san-
ctissimis, & antiquissimis Patribus magno, una-
nimique consensu secreta Confessio Sacramentalis,
qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modo
etiam utitur, fuerit semper commendata, mani-
feste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam
a Divino mandato alienam, & inventum huma-
num esse, atque a Patribus in Concilio Latera-
nensi congregatis initium habuisse docere non ve-
rentur.* „ Sess. 14. c. 5. Sed e diverticulo
ad viam redeamus. Tertullianus egregium
de Pœnitentia librum edidit, priusquam Ca-
thaphrygum deliriis captus in præceps abri-
peretur; in eo, posteaquam cap. 4. docuif-
set, peccatorum omnium, etsi cogitatione
sola patratorem confessionem esse faciendam,
quod



quod singulis iudicio Sacerdotis injungenda
 esset poena, subjungit: „ *Tantum relevat con-
 fessio delictorum, quantum dissimulatio exag-
 gerat. Confessio enim satisfactionis consilium
 est, dissimulatio contumaciae . . .* Is actus
 (Confessio scilicet) qui magis graeco vo-
 cabulo exprimitur, & frequentatur, exomolo-
 gesis est, qua delictum Domino nostro con-
 fitemur; non quidem, ut ignaro, sed quatenus
 satisfactio confessione disponitur, confessione pœni-
 tentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Ita-
 que exomologesis proflernendi, & humiliificandi
 hominis disciplina est. „ Cap. 9. Mox subdit,
 eos, qui Domino confitentur, Presbyteris
 advolvi, & caris Dei adgeniculari; item
 plures abstinere confessionis exercitio pudor-
 is magis, quam salutis memores, instar eo-
 rum, qui culpa sua moriuntur, quod vere-
 cundia deterriti, secretas corporis partes,
 morbo correptas, Medico manifestare nolint;
 denique ait, confessionem fieri Deo, quum
 fit uni, alterive fratrum. Quis vero jam adeo
 fatuabitur, ut, quæ Tertullianus differuit,
 de confessione soli Deo facta intelligenda pu-
 tet? Equidem Presbyteris adgeniculari, pu-
 dorem inditum frangere, spiritali Medico la-
 tens ulcus aperire, in fratre & Ecclesiæ mi-
 nistro Christum contrectare, Christum exo-
 rare, aliud profecto est, quam soli Deo in
 animo delicta confiteri. Hinc & Beatus Rhe-

nanus Tertulliani Scholiaſtes, Calvini ſequacibus minime ſuſpectus, candide fatetur, de confeſſione apud Sacerdotes etiam ſecreto facta Tertulliano ſermonem eſſe.

Sæculo III. commemorandi mihi præ ceteris Origenes Adamantius, & fulgidiffimum Eccleſiæ Carthaginenſis lumen Sanctus Martyr Cyprianus. Prior explicans illud: „ *Ini- quitatem meam ego cognoſco* „ poſteaquam monuit, peccatum ſi occultetur, detrimenti plurimum homini adferre, ita pergit: „ *Si autem ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum, & confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam; tantummodo circumſpice diligentius, cui debeas peccatum confiteri: proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere; qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi noverit diſciplinam, ita, ut demum, ſi quid ille dixerit . . . Si quid conſilii dederit, facias, & ſequaris. Si intellexerit, talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & ceteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt.* „ Hom. 2. in Pſal. 37. Ecce neceſſitatem confeſſionis occultorum criminum ad conſequendam animæ ſalutem; ecce ſecretam exomologeſin in aurem Sacerdotis; ecce



disciplinam illius ætatis; viguit nimirum Confessio privata eo tempore, quo viguit pœnitentia publica; imo secreta illa Confessio pœnitentiæ publicæ regula fuit. Splendidum hoc est, si quid video, testimonium Origenis; quod frequentius ab eo, parique perspicuitate confirmatum legimus. Conf. Natalis Alexander Diff. de Sacr. Conf. §. 7. Witassius De Confess. Q. 4. A. 3. Jueninus Diff. 6. de Pœn. Q. 5. A. 2. &c. Quid vero de illustri dicam Cypriano? refert inclytus Martyr lib. de Lapsis. eos, qui tormentorum atrocitate perterriti vel sacrificare idolis, vel ab ethnico magistratu libellos accipere cogitabant, licet neque Libellatici reapse fuerint, neque idololatræ, crimen illud, quamquam sola duntaxat cogitatione conceptum, quamquam occultum, apud Sacerdotes fuisse confessos, atque salutarem ab iis medicinam exquisivisse: ergo Cypriani ætate consuetudinem inter fideles receptam deprehendimus, ut occulta crimina, & ipsas quoque cogitationes, pravamque cupiditatem confitendo Sacerdotibus aperirent. Et ne cum Dallæo putes, fideles id e spontanea quadam animi religione, aut adfectu humilitatis præstitisse; ajo, eos publica ad hoc faciendum lege fuisse adstrictos. Audi hortantis Cypriani verba: „ *Confiteantur singuli . . . delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in seculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum*

sa-



satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. „ Si quæras, illane cogitationum, pravique desiderii confessio palam coram Presbyterio, an clam ad aurem Sacerdotis facta fuerit; existimo, alterum hoc obtinuisse; quum criminum occultorum confessio palam, & audientibus omnibus neque fieri consueverit, neque ulla unquam lege fuerit imperata.

Sæculo IV. integra sese Patrum nubes hæreticorum cavillis opponit Lactantius, quem ob flumen orationis *Ciceronem Christianum* vocant, alias inter notas, quibus Ecclesia vera ab heterodoxorum conventibus dignoscitur, religionem ponit, confessionem, & pœnitentiam, quæ in Ecclesia Catholica reperiri, & per ea „ *Peccata, & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curari* „ adfirmat. Lib. 4. Div. Instit. c. 30. Non differit hic Lactantius de confessione Divinitatis Christi, ut ineptivit Betulejus; non de confessione soli Deo facta, quæ animo tantum concipitur; quum de nota visibili veræ Ecclesiæ loquatur; non etiam de Confessione solum, & pœnitentia publica, ut somniavit Dallæus, sed de privata quoque; agit enim de peccatis, quibus subjecta est carnis imbecillitas, de peccatis, inquam, non publicis modo, sed & occultis, quæ non minus, ac illa per con-



fessionem, & pœnitentiam salubriter curari,
 adseverat; ipso autem Dallæo non abnuente
 peccata occulta publicæ pœnitentiæ laboribus
 non erant obnoxia. Lactantio S. Hilarium
 Pictaviensem adjungo, qui etsi alias paulo
 forte obcurior, clare tamen de Sacramentali
 Confessione differit, inquiens: „ *Ad terrorem*
metus maximi, quo in præsens omnes contine-
rentur, immobile severitatis Apostolicæ judicium
præmisit, ut quos in terris ligaverint, id est,
peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos
solverint, confessione videlicet veniæ receperint in
salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ in cæ-
lis quoque absoluti sint, aut ligati. „ C. 18. in
 Matth. Conruget nares, ut velit, legatque
 Dallæus, reclamante MSS. omnium veritate,
Tó Concessione pro Confessione Hilarium mihi
haud eripiet; qui enim peccata quorundam
retineri, eorum aliis venia concedi potest a
Ministris Ecclesiæ, quin singula cognoscantur?
& qui cognosci, secreta præcipue, valent, nisi
peccatoris confessione revelentur? Uberiora
desideras? Magno Basilio ad Amphiloichium
scribenti aures adcommoda; docet ibidem ex
antiqua Patrum disciplina, publicandas non
esse mulieres adulterio pollutas, idque confi-
tentes; cedo Canonem: „ Adulteras mulie-
res (verba sunt Basili) & pio animo ob timo-
rem confitentes, vel quomodocunque convictas
publicari Patres nostri prohibuerunt; ne confes-
sis



sis mortis causum præberent. „ (2) Magnus idem Monachorum parens Reg. brev. Interrog. 110. quæstionem versat, congruumne sit, adesse antistitam, dum soror Presbytero confitetur? Tum roganti, quibus peccata sint aperienda, respondet: „ *Iis, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* (3) Denuo ad consequendam omnium eorum veniam, quæ non recte, non sobrie admissa sunt, confessionem esse necessariam contendit. In Psal 29. Omnia hæreticorum in interpretando Basilio conamina frigida sunt conjecturæ, quæ, si paululum ad scopum orationis adtendatur, in irritum cadunt. Gemina habet Basilius frater S. Gregorius Nyssenus; primum occultos fures Ep. ad Letoj. Melit. iudicio Sacerdotum subjicit; tum in sermone adversus indiscretos aliorum censores, peccatorem quemvis urget, ut Sacerdotem adeat, eique omnia pectoris arcana pandat, inquiens: „ *Audacter ostende illi*

C 3


illi

(2) τὰς μοιχευθείσας καὶ ἐξαγορευούσας δι' εὐλαβίαν ἢ ὀπωσονῦ ἐλεγχόμενας, οὐκ ἐκέλευσαν δημοσιεύειν οἱ πατέρες ἡμῶν, ἵνα μὴ θανάτου αἰτίαν παράσχωσι ταῖς ἐξομολογηθείσας. S. Basil. Can. 34.

(3) ἀναγκᾶ οὐ τοῖς πεπεσυσμένοις τὴν ὀκιοιμίαν τῶν μυστηρίων τοῦ Θεοῦ, ἐξομολογεῖσθαι τὰ αἰμαρτήματα. Idem Interrog. 283.



illi, quæ sunt recondita; animi arcana tanquam occulta vulnera medico detege: „ atque, ut hoc propediem faciat, graviter monet, ne a morte, cujus hora incerta est, ac justis Judicis ira imparatus obruatur. Gravissima etiam sunt S. Paciani Barcinonensis, acerrimi Novatianorum insectatoris, verba: „ *Rogo vos, fratres, ait, per illum Dominum, quem occulta non fallunt; desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus secaturos, etiam perusturos. Et peccator erubescet perpetuam vitam præteriti pudore mercari? . . . an sic illi melius est perire?* „ Parænesi ad Pœnit. Leberide cœcior fit, qui non videat, occultorum etiam criminum exomologesin, ceu ad salutem omnino necessariam insinuari. Agmen Patrum IV. Sæculi claudat magnus Doctor S. Ambrosius; sic autem decernit: „ *Si quis igitur occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose pœnitentiam egerit, quomodo istam recipit, si ei communicatio non refunditur?* „ I. I. de Pœn. c. 16. Arguit nimirum ad obtinendam scelerum occultorum veniam Sacerdotalis absolutionis necessitatem. Quid vero ad hæc Novatores? Librariorum oscitantiam Dallæus accusat, quod pro Tò *Multa*, substituerint Tò *Occulta*; egregium, me Hercle! effugium, cui neque unius quidem sive editi, sive manuscripti codicis lectio suffragatur. Præterea ad



universos loquitur Præsul Mediolanensis, dicens: „ *Non erubescamus fateri Domino peccata nostra.* „ L. 2. de Pœn. c. 1. De Confessione hic Sacramentali sermo est; quis enim erubescat soli Deo fateri peccata, cui cognita magis, quam sibi esse non ignorat? Neque plura opus est congerere Sancti Doctoris testimonia, quum, quod verbis docuit, factis etiam comprobarit. Eum equidem excipiendis privatis fidelium confessionibus caritate maxima, zelo, benignitate, compassionis affectu, ac taciturnitate operam dedisse, Paulinus ejusdem Diaconus literis ad seram usque posteritatem transmisit. In vita ad S. August. N. 39 At quoniam de exemplis confitentium peccata memini, duo quasi transiens adnectam, quæ ea tempestate acciderunt, & quibus heterodoxi apertæ hallucinationis convincuntur. Quænam illa? Narrat Eusebius, l. 6. Hist. Eccl. c. 9. duobus S. Narcissi Hierosolymorum Episcopi calumniatoribus misera morte sublatis, tertium adhuc superstitem, eventu tragico percussum, ac totius calumniæ ordinem confessum, duram egisse pœnitentiam. Narrant & Socrates l. 5. Hist. c. 19. & Sozomenus, l. 7. c. 16. confessionem a nobili Matrona prius ad aurem Pœnitentiarii fuisse factam, quam publicatio nefandi illius flagitii contigerit, quod Nectarii tempore tantum in Ecclesia Constantinopolitana scandalum, atque



tumultum excitavit. Verum de postremo hoc major deinceps erit differendi occasio. Quæ Sæculo V. doctrina, quæ disciplina floruerit, expendamus.

In immensum excurreret oratio, si quæcunque hanc in rem egregie scripserat S. Joan. Chrysoftomus, commemorarem. E plurimis paucissima produco. Adlegans Samaritanæ mulieris exemplum, *Imitemur & nos, inquit, hanc mulierem Samaritanam, & ob propria peccata non erubescamus; qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, & penitentiam agere, in die illa non coram uno, vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur.* (4) Et in Homilia, quam in magna, seu sancta Hebdomada habuit ad populum Antioche-

(4) Μιμνησώμεθα τὴν γυναῖκα ταύτην τὴν Σαμαρειτίν κὶ ἡμεῖς, καὶ ἐπὶ τοῖς οἰκείοις ἀμαρτήμασι μὴ αἰσχυνώμεθα; ὁ γὰρ ἐπαισχυμώμενος ἀνδρῶπι ἀποκαλύψαι τὰ ἀμαρτήματα, Θεοῦ δὲ ὀρώντος μὴ αἰσχυμώμενος πράξει, μηδὲ θέλων ὁμολογήσαι, καὶ μετανοῆσαι, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ οὐκ ἐνώπιον ἑνὸς, καὶ δύο, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἀπάσης ὀρώσης παραδειγματίζεται. S. Jo. Chryf. Orat. de Samarit. prope finem.

chenum : „ *Quemadmodum*, ait, *naucleri*, & *cursores*, & *athletæ*, ubi ad finem veniunt, magis enituntur, & vigilant, eodem modo & nos facere oportet ; quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus *Dei gratia*, nunc maxime & jejunii cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens, & pura peccatorum confessio. „ *Hom. 30. in Gen.* De qua confessione hic differit *Os aureum*? de ea, quæ soli Deo fit? minime gentium. De Confessione hebdomadi Paschali propria differit; Confessio vero soli Deo faciendæ, cujus nomine nihil aliud intelligitur, quam peccatorum odium, dolorisque significatio, tempus omne respicit, quam proinde non minus, atque preces, & jejunia, hebdomada majori continuandam præciperet, quod tamen a Chrysofostomo factum non est; eam enim velut actionem quamdam singularem, novamque descripsit. An confessionem publice pœnitentium accipit? non arbitror; nam usus invaluerat, ut hi sub initium Quadragesimæ confessi publicæ deinceps pœnitentiæ subjicerentur: ergo loquitur de confessione a ceteris fidelibus eo fine peragenda, ut mundi mensam Eucharisticam adcedentes, Pascha digne celebrarent. Manifestiora prosequamur: „ *Non simpliciter* (sunt ejus verba) *pro delictorum modo pœna infligenda est, sed delinquentium simul spectandus est animus, ne, quum vis rupturam sarcire, dete-*



riorem eam facias, & quum erigere prostratum studes, graviolem casum efficias. . . . Quamobrem pastori multa opus est prudentia, & oculis innumerabilibus, ut undique circumspecte animæ habitum intueatur. . . . Horum igitur nihil inexploratum relinquendum, sed exacte omnia perscrutando adeunti conveniens emendatio adhibenda, ne frustra se laborasse comperiat. ,, (5) Ex hac D. Chrysofostomi sententia, si recte percipio, Confessio Sacramentalis aperte colligitur; quod si enim peccator pœnitens Pastori, & Medico animæ suæ singillatim errata non patefaciat, quomodo hic adhibere curationem, quomodo pro criminum, & personarum varietate satisfactio-

(5) οὐκ ἀπλῶς πρὸς τὸ τῶν παραπτωμάτων μέτρον δεῖ καὶ τὴν ἐπιτιμίαν ἐπάγειν, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν ἀμαρτανόντων σοχάζεσθαι προαιρέσεως. μὴ ποτε ῥάψαι τὸ διέρρωγός βονλόμονος, χῶρον τὸ σχίτμα ποιήσης, καὶ ἀνορθῶσαι τὸ καταπεπτωκός σπουδάζων, μείζονα ἐργασθὲ τὴν πτώσιν. . . . Διὰ τοῦτο πολλῆς δεῖ συνέσεως τῷ ποιμενι, καὶ μυρίων ὀφθαλμῶν πρὸς τὸ περισκοπεῖν πάντοθεν τὴν τῆς ψυχῆς ὄξιν. . . . Χρὴ τίνον μηδέν τούτου ἀνεξέταστον ἀφεῖναι, ἀλλὰ πάντα διερευνησάμενον ἀκριβῶς, καταλλήλως τὰ παρ' ἑαυτοῦ προσαγεῖν τῷ προσερχομένῳ, ἵνα μὴ ματαιῶς αὐτῷ γύνηται ἡ σπουδή. lib. 2. de Sacerd.



factiones & mulctas imponere poterit? Discrimen alibi inter Veteris, Novæque Legis Sacerdotes notat, inquiens: „ *Lepram corporis purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, Judæorum Sacerdotibus licebat: hi vero (Sacerdotes Novæ Legis) non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non purgatam probandi, sed purgandi potius potestatem acceperunt.* „ (σ) Inde autem Minerva non invita licet inferre, Magnum censuisse Chrysofostomum, homines Christianos peccatis, ceu spiritali quadam elephantiasi coinquinatos, melam non recipere, ni suum Legis Evangelicæ Sacerdotibus morbum aperiant: quemadmodum olim in Mosaica Lege præceptum erat, ut leprosi sisterent sese, ac suam Sacerdotibus Leviticis ægritudinem proderent, quorum erat lepram a lepra distinguere, ac determinare, illisne extra castra manendum, an post curationem ad castra esset revertendum. Paulo forte diutius Joanni Chrysofostomo sum immoratus; e re tamen id visum, ut intelligant homines hæretici, quam ejus auctoritate

ad
(σ) λέπραν σώματος ἀπαλλάττειν, μάλλον δὲ ἀπαλλάττειν μὲν οὐδαμῶς, τοὺς δὲ ἀπαλλαγέντας δοκιμάζειν μόνον εἶχον ἐξουσίαν οἱ τῶν Ἰουδαίων ἱερεῖς . . . οὗτοι δὲ ἔ' λέπραν σώματος, ἀλλὰ ἀκαθαρσίαν ψυχῆς οὐκ ἀπαλλαγῆσαν δοκιμάζειν, ἀλλ' ἀπαλλάττειν παντελῶς ἔλαβον ἐξουσίαν. Lib. 3. de Sacerd.



ad elevandum dogma Catholicum abutantur. Mitto jam Innocentium I. Ep. ad Decent. c. 7. Theodoretum l. 4. Hæret. Fab. c. 10. Julianum Pomerium l. 2. de vita contempl. Sozomenum, aliosque Sæculi V. Scriptores, ac luculentos totidem hujus veritatis testes; Joanni Chrysofostomo, Patri Græco, triadem solum Doctorum Latinorum, Hieronymum, Augustinum, Leonem M. adjungo. Primus in Ecclesiasten commentans, ait: „ *Si quem serpens diabolus occulte momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri, & magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat egrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.* „ Quis frater iste, quis magister? an sapiens quisque, & discretus, sive clericus ille sit, sive laicus, ut blaterant Novatores? haudquaquam; abhorret interpretatio isthæc a mente Hieronymi, qui non Laicis, sed Sacerdotibus tantum ligandi, solvendique potestatem a Domino concessam esse diserte docuit In c. 16 Matth. Augustinus, egregium illud Ecclesiæ columen, adulteros ita hortatur: „ *Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis; si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia Dei, ut oret pro vobis*
Eccle.



Ecclesia. Nemo sibi dicat: occulte ago; apud Dominum ago: novit Deus, qui mihi ignoscit; quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: quæ solveritis in terra, soluta erunt in caelo? ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ? frustramus Evangelium, frustramus verba Christi; promittimus vobis, quod ille negat? „ Hom. 49. ex 50. Quid hæc ad rem? Dallæus clamat, de solis adulteris, de sola pœnitentia publica verba facit Augustinus. Siccine? ad pœnitentiam publicam hortatur mœchos; adsentior: sed illius etiam, quæ Clavium pœnitentia dicitur, meminit, cui & adulteria, & peccata quævis lethalia necessario subjiciuntur. Illos perstringit, qui satis esse rebantur, si secreto, & coram Deo pœnitentiam agerent, ostendens, id exigi præterea, ut, si solvi a peccatis velint, Ecclesiæ præpositos adeant, ne secus Christi verba esse inania, & claves absque causa Ecclesiæ fuisse datæ videantur. Qui vero furtivis & occultis fœdati adulteriis hoc absolvi crimine coram Ecclesia possunt, quin illud confitendo revelent? Quisquis porro cum Dallæo ita ineptit, ut Augustinianam sententiam de mœchis duntaxat intelligendam esse comminiscatur, infantissimus est; quippe Vir summus aperte verba Servatoris indefinita, & generalia: „ Quæcunque solveritis &c. „ usurpat. Non minus splendidum illud est S. Doctoris testimonium (ut aliis innumeris ab-

sine.




stineam) quo in Pastores metu persecutionis gregem fidelium deserentes invehitur, dicens: „ *An non cogitamus, quum ad istorum periculorum pervenitur extrema . . . Quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, & ab omni ætate concursus; aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem . . . ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* „ Ep. 228. ad Honorat. Potuitne clarius Sacerdotalis absolutionis, adeoque Confessionis peccatorum præmittendæ necessitas exprimi? Denique S. Leo M. eos coarguit, qui cogebant pœnitentes omnia ab se commissa flagitia in publico Ecclesiæ coetu enarrare, atque abusum hunc submovendum esse statuit, adposita ratione. „ *Quum reatus conscientia sufficiat solis Sacerdotibus indicare confessione secreta.* „ Ep. 86. ad Episcopos Campan. Differit Leo de criminibus occultis, quæ vetat publicari; eorum confessionem secretam (cujus usum in Ecclesia obtinuisse supponit) sufficere, publicam porro necessariam haud esse decernit.

Posterior ætas strictim percurrenda est. De Sacramentalis exomologeseos disciplina Sæculo VI. indicia longe cumulatissima præbet formula Confessionis generalis omnium peccatorum, etiam occultorum, etiam sola cogitatione admissorum, quam condidit S.



Fulgentius, & refert Menardus ad Sacramentarium Gregorii: Scala Paradisi S. Jo. Climaci: Libellus Pœnitentialis Joannis Jejunatoris Patriarchæ C. P. in quo totus Confessionis ordo describitur: Homilia de Synaxi Anastasii Sinaitæ &c. De S. Gregorio M., singulari Sæculi VII. ornamento, quid dicam? totus ille est in commendando Sacramentalis Confessionis usu, in demonstranda illius necessitate. „ *Omnis peccator, (sunt ejus verba) dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras; quum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur: Veni foras. Ac aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per confessionem egredere, qui apud te intus per negationem lates: veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit.* „ Hom. 26. in Evang. Agit hic, aliisque in locis magnus Pontifex de omni crimine, de omni peccatore, de sceleribus occultis, de confessione oris, de confessione non Deo soli, sed Sacerdotibus etiam Dei ministris facienda. Gregorio per omnia consensit S. Eligius Noviomensis, qui præterea, referente S. Audæno Rhotomagensi, culpas universas, quas ab
ado-



adolescentia admiserat, Sacerdoti in aurem confessus est. Apud Laur. Surium Mense Dec. Nihil hic de S. Tillone, & Richario proferam, qui suos defectus confessione privata expiasse leguntur. Sed præterire non possum, quod S. Theodorus Studita de B. Platone in ejus Epitaphio celebravit. En verba: „ Etenim pro ludo divinas lectiones, quibus adtentus erat, pro theatris & spectaculis Ecclesias frequenta- bat, pro inhonestis diversoriis honesta collegia. Quodque laudabilius est, occultas mentis cogita- tiones, & acta cuidam eorum, qui præerant, sæ- pius confitebatur. Quæ res magnum religionis illius erat indicium, idque quum perfecte facere solitus esset, ei, qui confessionem ipsius audiebat, admirationem, & stuporem adferebat. „ (7) Quæ hæcenus pro dogmate Orthodoxo adlata sunt, plurimum ex iis confirmantur, quæ & Sy-

(7) και γὰρ ἦν ἀναγνώσεις προσέχων ἀντὶ παιγνίων, ἐν τε ἐκκλησίας προεδρεύων ἀντὶ θεάτρων. καὶ ἐν σεμνείοις ἀναστρεφόμενος ἀντὶ ἀσεμνῶν καταγωγῶν. καὶ γὰρ τὸ ἄρα ἐπαινε- τώτερον. ἐξαγορεύσεις ποιούμενος τῶν κρυφίων τοῦ νοῦν κινήματων τινὶ τῶν καθηγουμένων. ὃ τῆς μὲν ἐκείνου φιλοθῆας πῆρξε εὐμβολον. τοῦ δὲ τὴν ἐξαγορεύσειν δεχομένου κατέπλητ- τε τὴν διάνοιαν τελειωτικῶς γινόμενον. Apud Cl. Jac. Sirmondum Hist. Pœnit. publ. cap. 8.



Synodus Cabilonensis regnante Clodovæo II. Francorum Rege Can. 8. & Trullana Anno 692. e plerisque Orientis Ecclesiis coacta salubriter constituit. Textum græcum, quum longiusculus sit, non transcribo; latinam duntaxat ejusdem interpretationem ex doctissimo Petro Arcudio De Concord. Eccl. Occid. & Orient. l. 4. de Pœn. c. 2. in hæc verba subjicio: „ Oportet eos, qui potestatem solvendi, atque ligandi a Deo acceperunt, peccati qualitatem, & ejus, qui peccavit, ad conversionem promptum studium considerare, & sic morbo convenientem adhibere curationem, ne si in utroque immoderatione utatur, a salute ægrotantis aberret. Non enim simplex est morbus peccati, sed varius, & multiformis, multaque detrimentorum germina producens; ex quibus malum longe, lateque diffunditur, & ulterius progreditur, donec tandem virtute medentis consistat. Quamobrem eum, qui artem medicam spiritualem profitetur, oportet prius ejus, qui peccavit, animum considerare, ac inspicere, utrum ad sanitatem inclinet, vel contra propriis moribus in se morbum provocet; quove modo interim ipsa conversatione salutis suæ provideat: & si artifici non reluctetur, animique ulcus impositorum medicamentorum adcessione augeat; sic tandem misericordiam, prout dignus est, impertiri. Omnem enim rationem inquit Deus, isque, cui pastoralis traditus est principatus, ut errantem ovem reducat, & a serpen-





te vulneratam sanet, & neque per desperationis precipitia impellat, nec ad vitæ dissolutionem, & contemptum fræna relaxet, sed una quidem omnino ratione, sive per acriora, & adstringentia, sive per molliora, & leniora medicamenta morbo resistat, & ad ulceris obductionem adnitatur, fructus pœnitentiæ examinans, & sapienter gubernans hominem, qui ad supernam splendoris celebritatem vocatur. Nos itaque utraque scire oportet, & quæ sunt summi juris, & quæ sunt consuetudinis: in iis autem, qui summum jus non admittunt, sequi formam traditam, quemadmodum edocet nos *S. Basilius.* „ Hucusque Concilium. Can. 102. Porro si hoc, & alia sparsim hæctenus producta testimonia paulo accuratius expendam, dicere cogor cum incomparabili *Petavio:* „ Quotcunque *Veterum Patrum* scripta sunt, vel *Conciliorum decreta*, quibus pœnitentiæ modus indicitur, totidem confessionis arcane firmamenta, ac monimenta retinemus. Jubent antiquissima *Patrum*, atque *Ecclesiæ* consulta, lapsos pro peccatorum gravitate plecti, & ab antistitibus, aut *Sacerdotibus* pœnitendi leges, ac conditiones accipere, ut eorum causa cognita, ac prudenter æstimata, levioribus illos, gravioribusve pœnis coërceant. Quis, nisi insanus, aliter id administrari putet, quam si peccata sua ille ipse, qui admisit, exponat? Confessione igitur, ac declaratione aliqua opus est. „ *De Pœn. Vet. in Eccle-*



Ecclesia rat. ex Epiphani. Animad. ad Hæres.
59. §. 4.

Quænam VIII. Christi sæculo circa Confessionis arcanæ necessitatem doctrina obtinuerit, cum ex Ven. Bedæ In c. 5. Ep. S. Jacobi. tum ex Egberto Eboracensi Apud Morin. in Adpen. p. 12. discimus. Inclaruerant ea tempestate S. Bonifacius Germanorum Apostolus, & Alcuinus Flaccus Caroli M. præceptor. Ille alios inter Aldeberti nefarii hominis errores, ceu pestilentissimum refert, quod confessionis necessitatem elevaturus ausu sacrilego ad populum venientem, & ad pedes prostratum, suaque declarare peccata cupientem ita fari consueverit: „ Scio omnia peccata vestra; quia cognita sunt mihi omnia occulta; non est opus confiteri, sed dimissa sunt peccata vestra præterita: securi & absoluti redite ad domos vestras cum pace. „ Ep. ad Zachar. Pap. Alcuinus autem, cujus verba jam Articulo præcedente recitavi, adversus eos, qui in Provincia Gothorum Galliæ Narbonensis necessitatem confessionis inficiabantur, disputans, peccatorum omnium post Baptismum commissorum, etiam occultorum, necessariam ad salutem esse confessionem, idque e Christi jussu, & Apostolorum præceptis erui, atque ad religionem Catholicæ Fidei pertinere, neque huic dogmati quemquam, nisi hæreticum, obniti posse con-



tendit. Epist. 26. Eadem vero sæculo IX. in tota Occidentis Ecclesia doctrina fuit, idem sensus, eadem disciplina, five ad Caroli M. capitularia, five ad Conciliorum Rhemensis II. Turonensis III. Cabilonensis II. Paritiensis VI. & Wormatiensis decreta, five ad capitularia Theodulphi, & Jonæ Aurelianensium Episcoporum, atque ad eorundem Collectionem, quam Levita Benedictus adornavit, animum adplicemus. Non minus etiam in Orientali Ecclesia, quod a Patribus acceptum est, eodem hoc tempore in primo semper vigore perduravit. Haud opus multis; ipsa Sigilli Sacramentalis religio manifestum suppeditat arcanæ confessionis argumentum. Narrat Macarius Hieromonachus Explic. Can. Pœnit. S. Basili, Nicephorum Patriarcham C. P. Fidei causa imperio Leonis Armeni exulantem, quum audivisset, quosdam Sacerdotes ea, quæ de Iconomachis ad Ecclesiam reverti festinantibus confessione secreta norant, Nycæno Præfuli manifestasse, vehementer commotum, grandis id Sacrilegii loco habuisse, adjecta ratione, quod nefas esset prodere, quæ pertinent ad exomologesin. Ignatius quoque sanctissimus Patriarcha, teste Palestrio Monacho apud Gregorium Metochiten in Ecthesi Hist. delatorem Confessarium, quod sibi nonnulla in sacro tribunali audita nunciasset, non modo abominatus est, sed illius etiam cognitionis usum per-



perpetuo sibi interdixit, inquit, & *Exomologeten ipsum debere silentium iis, quæ quis confitetur, & omnes eos, ad quos ea, quæ quis fassus est, pervenerint; silentium enim, & occultandum penitus esse, quidquid in pœnitentia ad iudicium Sacerdotis proponitur. Vid. Carolus Franc. a Breno O. M. T. i. Man. Mission. l. 3. c. i. Q. 4. Si Sæculi X. quod obscurum alias, & ferreum audit, ratio habeatur, constantes Catholicæ veritatis inter tantas illius ævi ignorantiae tenebras adsertores erant Regino Prumiensis Abbas, Ratherius Veronensis Præsul, Edgarus, & si qui alii doctrinæ laude floruerunt. Consentanea Sæculo XI. tradidere Burchardus, S. Anselmus, Ivo Carnotensis; unicum audiamus S. Petrum Damianum; Sic porro de confessione disserit: „ *Via est, sine qua nemo venit ad Patrem; quam qui perdidit, perdidit Deum. Quum igitur de vitiorum abyssu disponis emergere, ad illum præcipue sit refugium tuum, cui anima tua commissa est; nec te moveat, si illiteratus sit; memento, quia non est potestas, nisi a Deo.* „ Tum distinctis pœnitentiæ gradibus, inquit: „ *Quartus gradus est Confessio oris; hæc facienda est; quia non est pars peccatorum dicenda, & altera retinenda, neque levia confitenda, & gravia diffitenda.* „ Hortatur deinde Sacerdotes ad Sigillum Confessionis, & pœnitentes ad exuendam damnabilem erubescerentiam, dicens: „ *Opponamus ei confideratio-**



rationem ratiouis, reverentiam intuentis Dei;
ut enim confiteamur, ratio monet, Deus co-
git. . . Ecce! quantum potui, de confessionis dis-
serui Sacramento, Sermone 58. Tandem
ad Sæculum XII. deventum est. Hic omissis
Godefrido Vindocinensi, Radulpho Ardente,
Ruperto, Petro Cluniacensi: non cum memo-
ratis etiam Theobaldo Stampensi, Petro Ble-
senfi, ac Cellensi; atque præstantissimis illius
ævi Theologis Roberto Card. Pullo, Hugone
ac Richardo Victorinis, Petro Lombardo,
& Petro Pictaviensi, qui avitam Ecclesiæ hoc
de capite doctrinam concordî voce, animo-
que propugnabant, & quorum verba recitat
Cl. Witassius, loc. cit. unus omnium loco in
medium prodeat S. Bernardus Abbas Claraval-
lensis, cujus hæc est sententia: „ Contra pec-
cati conscientiam remedium confessionis est institu-
tum, & omnia in confessione lavantur. „ Serm.
in Feito OO. SS. N. 13. In exhortatione ad
milites templi c. 12. confessionem oris, &
ejus necessitatem, & conditiones, nec non
prudentiam, atque dexteritatem Confessario-
rum describit. Precibus Sanctissimi Abbatis
Josbertum Virum nobilem, sensibus omnibus
destitutum, vocis usum non sine prodigio re-
cuperasse, quo culpas omnes, priusquam e vi-
vis excederet, confiteretur, Gulielmi Abbatis
Theodoriciani, Bernardo synchroni, relatione
accepimus. In vita S. Bern.

Hæc sunt pauca e plurimis, quæ ad comprobendam Sacramentalis Confessionis institutionem divinam, atque necessitatem, e perenni, neque interrupta unquam Ecclesiæ, ac Patrum duodecim Sæculorum traditione adferenda censui; inde vero ita mihi liceat, universis in pugnum contractis, ad scholæ methodum ratiocinari: Consenserunt omnium Sæculorum Patres in eam, quam hodie de Sacramentali Confessione profitemur, doctrinam, si egerunt de exomologesi ad pedes, ad genua, ad aures eorum fieri solita, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei; si docuerunt, Sacerdotibus datas esse ligandi, & solvendi claves, frustra aliunde sperari criminum solutionem, Sacerdotes conscientiarum iudices, & medicos animarum esse constitutos, horum officium esse lepram inter, & lepram discernere, cognoscere vulnerum animæ causas, & radices, iisque opportunis mederi pharmacis; si adseruerunt, eos inania reddere Christi verba, frustrari Evangelium, qui occulta Sacerdotibus flagitia revelare erubescunt, & semet conjicere in perditionis æternæ discrimen; Si denique prudentiam, si discretionem, si taciturnitatem a confessariis, & selectum horum adcuratum a pœnitentibus exegerunt; atqui hæc omnia præstita sunt a Patribus, qui duodecim Sæculorum decursu magnum illud Lateranense Concilium antecesserunt: itaque non




alia fuit eorum, quam quæ nunc est de confessione Sacramentali in Ecclesia Romana, fides.

Desperatam igitur causam agunt Calvinus, Jo. Dallæus, eorumque pedisequi, dum epocham hujus dogmatis in ætate sequiori statuentes, fidelibus confessionis laqueum in concilio Lateranensi IV. quod anno 1215. ab Innocentio III. celebratum est, injectum primo fuisse clamitant, illamque pro innata sibi humanitate servitutem quamdam immanem, inauditam, scythicamque barbariem, sævissimis etiam tyrannis incognitam, verbo: *Tormentum Innocentianum, & cruentissimam carnificinam* adpellant. Nimirum hæc sunt encomia, quibus cœleste munus in salutem animarum a JESU Christo mortalibus concessum, præceptumque a Pseudo-Evangeliis præconibus ornatur. At quamquam hi hallucinationis, & mendacii e tot antiquitatis venerandæ monumentis aperte jam revicti sunt, ipsum tamen Lateranensis Decreti tenorem ob oculos ponere juvabit, ut, quanta sit Novatorum sive imperitia, sive malignitas, manifestius innotescat. En decretum: „ *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi penitentiam studeat pro*

pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. „ Can. 21. Legit verba hæc petulantissimus Calvinus, atque, ut canonem simplicis plebeculæ irrisionibus exponeret, ineptissime jocatus est, inquiens: „ Quod jubent boni Patres, omnem utriusque sexus quotannis semel proprio Sacerdoti confiteri omnia peccata, faceti homines lepide excipiunt, hoc præcepto teneri solos hermaphroditos, ad neminem vero spectare, qui sit mas, vel fœmina. „ 1. 3. Instit. c. 7. O miserum sycophantam! qui, ubi nimis curtam sibi esse vidit theologiam supellectilem, qua sacramentalem succuteret confessionem, pueriles Grammaticorum regulas in subsidium adscivit, immemor adagii, quo Grammaticæ leges plerumque ab Ecclesia sperni dicuntur. Tamen phrasi hac & Scriptura utitur: „ Non erit apud te sterilis utriusque sexus. „ Deut 7. v. 14. „ Circiter tria millia utriusque sexus. „ Judic. 16. v. 27. Liberis eorum utriusque sexus. „ 2. Paral. 31. v. 18. Neque ab hoc loquendi modo Plinius vir disertissimus abhorruit, quum de Romulo dixit: „ Ludos Circenses simulavit, ad quos quum utriusque sexus multitudo venisset, dato

D 5

suis



suis signo , virgines raptæ sunt. ,, Lib. i. viror. Illustr. Sed patientiam perderem , si de vobis cum hoc rabula diutius altercarer. Quod caput est rei , persequamur. Ajo , Calvinum, sui que similes putidissimam narrare fabulam, dum ex cit. Decreti verbis primum Confessionis arcanae præceptum in officina Lateranensis Concilii procusum fuisse comminiscuntur. De novo dogmate in Ecclesiam invehendo ne cogitarunt quidem Patres Lateranenses ; confessionis peragenda tempus duntaxat , certumque ministerium determinarunt , quod ad disciplinam pertinet : nulla hic inducta confessionis necessariae novitas , sed præcepti vetustissimi , de quo mortalium nemo ambigebat , decreta solum quoad tempus , modumque observantia. Quid ? si novum , & insuetum antehac Patres Concilii jugum fidelibus imposuissent , futurumne fuisse putas , ut adversus istiusmodi præceptum , quod carnali , ac delicatæ hominis indoli molestum est , nemo unus insurgeret ? verum ortas quidem circa sensum proprii Sacerdotis controversias vidimus , nulla porro contentio circa substantiam confessionis ante ferbuit , quam turbæ Wicleffiticæ sub finem Sæculi XIV. Novatorum schismati prælusissent. Et , amabo ! Si Innocentius Confessionem primus jure dicitur præcepisse , quod hujus peragenda tempus definierit ; cur ei velut auctori primo Eucharistiæ sumendæ mandatum non

referatur acceptum, quod & hujus suscipiendæ limites determinarit? cui autem portentosa isthæc consecutio non moveat orexin? Ast Innocentius ipse ruborem heterodoxis offundit; priusquam enim magna illa Synodus in Basilica Lateranensi celebraretur, confessionis oralis usum in Orbe Catholico fuisse receptum supposuit, dum indulgentias publico diplomate Anno 1199. iis concessit, qui corde contriti, & ore confessi ad recuperandam terram sanctam operam, pecuniasque contulissent. Vid. Card. Baronius Ad Annum 1199. & Eusebius Amort. Hist. Indulg. Parte 1. Non igitur Innocentius, non Patres Concilii Lateranensis confessionem instituerunt, non ejus necessitatem invexerunt; duo duntaxat disciplinæ capita de annua confessione, proprioque Sacerdote ab iisdem constabilita sunt; quamquam neque hæc nova erant; quum de iis jam pridem antea S. Joannes Chrysostronus Hom. 30. in Gen. Sonnatius Archiepiscopus Rhemensis Stat. Eccl. Rhem. Can. 8. Theodulphus Aurelianensis, Regino, Burchardus, Ratherius Veronensis, Odo Parisiensis, Chrodegangus, aliique tractarint. Quid igitur? si neque Innocentius, neque Patres Concilii Lateranensis necessitatem confessionis invexerunt; si nullam hæretici prætensæ hujus novitatis epocham adsignare valent; quid superest aliud, ac recta illa consecutio, nos traditionem hujus




ius mandati a Patribus, Patres ab Apostolis, Apostolos a Christo accepisse?

Porro crassior continuo Novatorum error evadit, si cogitemus, non Græcam solum Ecclesiam, sed & reliquas Orientalium sectas in hac de Sacramentali Confessione doctrina Latinis consentire, semperque fuisse adstipulatas. De Græcis ante lugubrem Photiani schismatis ortum testes luculentos produxi, S. Irenæum, Origenem, S. Basilium, S. Gregorium Nyssenum, S. Joannem Chrysostrum, Synodum Trullanam, Joannem Jejunatorem; & si velis quoque, Nicephorum, & Ignatium Sanctissimos Viros, qui Sæculo IX., quo telam funestæ scissionis adorsus est Photius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuerunt. Quis vero ab eo ad hæc usque tempora Græcorum sensus, erudite præter Card. Bellarminum, Goarium, Morinum, & alios, doctissimi illius gentis Petrus Arcudius Corcyræus, & Leo Allatius exponunt. „ *Quartum est Penitentiae Sacramentum, ait iste, lapsis post Baptismum, ut est Græcorum omnium sententia, ad recuperandam gratiam necessarium. Illi... peccata sua Sacerdoti... sine ulla inficiatione confitentur, a quo penitentiam decretam accipiunt, & exsolvunt.* „ lib. cont. Hotinger. Ipsa Græcæ Ecclesiæ monumenta veritatis hujus testimonium reddunt; etiamnum enim



enim Pœnitentiale servat Joannis Jejunatoris, Nomocanonem Joannis Nesteuta, Codices Euchologiorum, in quibus forma, ritusque Sacramentalis confessionis præscribuntur. Usus deinde, & modum, & necessitatem commendant Theophanes Cerameus, Balsamon, Cabasilas acer Latinorum hostis *Expos. Liturg. c. 29.* Simeon Thessalonicensis de *Sacr. Pœn.* Gabriel Philadelphienfis de *7. Eccl. Sacram.* Hieremias Patriarcha C.P. Ad qq. Luther. nec non Synodi recentiores contra Cyrillum Lucarim Calvinizantem coactæ. Si de hodierna praxi quæras, Græci Sacerdotes Laicorum exomologesin sedulo excipiunt, & hi, Arcudio teste, l. supra cit. c. 1. & 2. singillatim sua peccata declarant, quamquam Pontifices & Sacerdotes ipsi nunquam fere, aut raro confiteantur; *Quo eodem vitio*, ut idem loquitur, *laborant Russorum Presbyteri, Græcorum videlicet velut hæreditario quodam jure in omnibus imitatores.* „ Timent nimirum, ne sua confessi peccata secundum Canonum Basilianorum rigorem a sacris arceantur.

Jam ad ceteros in Oriente Sectarios convertor. Armenos primum, licet plurium errorum damnatos, Trullana tamen Synodus diserte tractans de dogmate Confessionis, ab hoc deviasse non comperit, non insimulavit. Quæ apud Chaldæos, Syrosque Nestoriana hæ.



hæresi infectos doctrina, ac disciplina viguerit, ex Fidei professione discimus, quam Siud, five Sulaka eorum Patriarcha Anno 1553. Romæ coram Julio III. edidit, & quam ex autographo Syriaco ad verbum traduxit Andreas Mafius; in ea suo, suæque nationis nomine ita fatur Sulaka: „ *Credimus in Sanctum Baptisma, & in Sacrificium, quod est Corpus, & Sanguis Christi, & in Sacerdotium sanctum, & in Matrimonium, & in Oleum sanctificans. Erat quidem olim apud nos consuetudo, ut revelaremus peccata nostra inter nos; sed surrexit violentus tyrannus (Simeon Barmamas Patriarcha Nestorianus, ut visum Cl. Assemano, Tom. 3. Bibl. Orient. P. 2.) & abolevit eam; orta est cædes, ac contentio, & cessare fecit illam; sed nunc, O Pater noster! habemus spem in te, quod scribes per literas, & excommunicabis eos, qui id non observabunt. Confirmatione vero, an Veteres usi sint, ignoro; Monachus enim sum ego, & quis me id docuisset? Bibliothecæ PP. Tom. 26. pag. 816. Revera Confessionem, a Barmama suppressam, restituere conatus est Sulaka, & ejus in Sede Patriarchali Successor Abdiesus. Cophtis, & Æthiopibus auricularum Confessionem in usu esse, scribunt Bernatus, Renaudotius, Wanslebius Ord. Præd. Vir Linguarum, ac Rituum Orientalium peritissimus. Hoc referente Alexandrinus Patriarcha Jacobita statim ab inauguratione sua*

Pres-

Presbyterum nominat, qui plebis Christianæ Confessiones excipiat; quare & formulæ apud Jacobitas a celeberrimis illius gentis doctoribus editæ prostant, secundum quas exomologesin peragere consueverunt. Sed omnem de Cophtis Ægypti dubitandi rationem mihi ademit testis oculatus, R. P. Petrus de Alcantara Krammer Concellita, & popularis meus, qui viginti, & unius annorum decursu, quo Apostolicum iis in locis maximo cum fructu Missionarium egit, auricularem ab illis frequentari confessionem observavit, & ab se fuisse observatum adseruit. Patet igitur, & Græcos, & ceteros Orientales Christianos in hac de Sacramentali Confessione doctrina Latinis Catholicis consentire: ergo ineptiunt Calviniani, dum ejus ortum a Concilio Lateranensi IV. repetunt, quod quidem nullo negotio demonstratur; enimvero Græci dogma istud a Lateranensi Synodo non hauserunt; hanc equidem rejiciunt, quum dudum antea per schisma Photii, ac Michaelis Coerularii sese ab Ecclesiæ Romanæ gremio segregarint: itaque lex Confessionis antiquior est Synodo Lateranensi IV.; antiquior etiam ipso schismatis exordio, quod a Sæculo IX. ducitur; si enim serius a Latinis invec̄ta fuisset, nunquam eam Græci, jurati Latinorum hostes, recepissent. Infero quoque, vetustiore eam esse origine variarum sectarum, ut Armenæ, Jacobiticæ,
Ne-



Nestorianæ, quibus oriens misere discerpitur; nam si tardius vel in Latina, vel in Græca Ecclesia obtinuisset, non in commune huic, a qua discessionem fecerunt, dogma conspici-
raretur; porro hæresum prædictarum initium ad Sæculum V. refertur: lex igitur Confessio-
 nis ante V. Sæculum viguit: dicant ergo No-
 vatores Aristarchi, a quonam per lapsum quin-
 que primorum Sæculorum invec̄ta sit. Quis,
 quæso, primus omnium tam durum, ut ipsi
 ajunt, jugum humeris fidelium injecit? Quan-
 do, si ab initio Christiani nominis non fuit,
 id contigit? Quomodo nullo Concilio, Præ-
 sulum nullo, nec ullo hominum cœtu repug-
 nante, vel mussitante quidem, omnes orbis
 Christiani partes pervasit? An, si a Christo,
 & Apostolis accepta non est, novitas isthæc,
 & hominum inventio omnes ubique, eodem-
 que temporis puncto incessit? an concepta
 ab uno, vel paucis ordine pedetentim apud
 universos invaluit? novitas, inquam, tanta,
 quæ nisi Divini foret instituti, in Ecclesiam
 sine renitentia quorundam, sine turbis, sine
 contentione nunquam fuisset inducta. Quare
 adtendens Sacrosanctum Concilium Tridenti-
 num ad JESU Christi Sacramentum Pœniten-
 tiæ Joan. 20. v. 22. instituentis verba, ad per-
 petuam Patrum, & omnium Ecclesiarum tra-
 ditionem, ad avitum, ac semper perdurantem
 fidelium usum, ad anteriorum Conciliorum
 Sanctio-

sanctiones, rectissime adversus prurientium
Novatorum deliria definivit, Confessionem
Sacramentalem a Christo Auctore esse profe-
ctam, & jure Divino necessariam, neque mo-
dum secrete confitendi ad aurem Sacerdotis
(ab initio semper ab Ecclesia Catholica obser-
vatum) alienum esse ab institutione, ac man-
dato Christi, vel ab hominibus inventum.
Sess. 14. Can. 6.



ARTICULUS TERTIUS.


Factum Nectarii Patriarchæ C. P.
dogmati Catholico nihil officit.

Omnia tentant heterodoxi, ut vel Sacramen-
talis Confessionis necessitatem elevent,
vel esse ἐπεξεύρεσιν τῆς ἐκκλησίας, seu *adinven-
tionem Ecclesiæ* probent: idcirco & antiquam
primorum temporum disciplinam in subsidium
advocant, & Patrum, Theologorumque aucto-
ritates consarcinant, & variis denique ratiun-
culis errori suo veri quamdam imaginem ad-
linere nituntur. Celebre primo Nectarii Pa-
triarchæ C. P. qui S. Gregorio Nazianzeno
Anno 378. successerat, factum objiciunt, quod
a Socrate l. 5. Hist. Eccl. c. 19. Sozomeno
l. 7. H. E. c. 16. Nicephoro l. 12. E. H. c. 28.



fufiore calamo defcriptum paucis Theophanes
 verbis complectitur, inquiens: „ Nectarius
 vero Constantinopolitanus Presbyterum fustulit,
 qui præpofitus erat pœnitentiæ, ob flagitium a
 Diacono quodam in Ecclefia perpetratum cum
 fœmina, quæ in pœnitentia verfabatur. At Ro-
 mæ, totoque in Occidente ftudiofe is hucusque
 retinetur, & pœnitentium locus eft designatus. „
 (8) Mirum, quantum pseudo-reformati in
 hac hiftoria triumphent: „ Hic, hic aures afi-
 ni ifti arrigant, urbaniffime Catholicis infultat
 Calvinus, fi enim lex Dei erat auricularis con-
 feflio, qui ausus eft Nectarius eam refigere, &
 convellere? „ l. 3. Inftit. c. 11. refixit vero,
 & convulfit: ergo lex Dei non erat. Rifum
 teneatis amici, dum fublimem adeo argutato-
 rem auditis. Vetuftiffimum efle confeflio-
 nis ufum, haud abnuit Calvinus; at nulla, fi-
 ve Divina, five humana etiam lege ad eam
 peragendam obftrictos fuiſſe fideles ante Syno-
 dum Lateranenſem contendit: hinc eo iudice
 ufum,

(8) Νεκτάριος δὲ ὁ Κωνσταντινουπόλεως ἐκάλυσε
 τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερον, διὰ τὸ
 γεγονὸς ἀμαρτήμα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὑπὸ τίνος
 διακόνου εἰς τὴν γυναῖκα, τὴν ἐπὶ τῇ με-
 τανοίᾳ σχολάζουσιν. ἐν δὲ τῇ Ρώμῃ, καὶ
 πάσῃ τῇ δυναστῷ ἐμιμελῶς φιλάπτεται εἰς
 τὴν νῦν, καὶ τόπος ἠφώρισαι τοῖς μετανοοῦσι.
 Theophan. in Chron.



usum, non legem Confessionis sustulit Nectarius. Adficientes sibi habet Musculum, Molinæum, Basnagium &c. Sed Patriarchæ suo hac in parte concors non est Dallæus; negat hic, sublatam a Nectario fuisse Confessionem auricularem, & id negare quidem debuit, quum hujusmodi confessionis usum nondum in Ecclesia ea tempestate exstitisse, sed primum Sæculo XIII. in Concilio Lateranensi IV. inventum esse finxerit: proinde „ *nihil refigitur*, ait, *nisi quod ante fixum sit, nec abdicatur, quod non fuit prius institutum.* „ l. 4. adv. Conf. Sacr. c. 24. Negat etiam, abolitam fuisse confessionem publicam; cujus exercitium absurdum, nulloque Veterum testimonio nixum, nec idcirco unquam obtinuisse adfirmat. Censet item, neque publicam tum pœnitentiam fuisse suppressam, eamque post Nectarii tempora ubique, & in ipsa Urbe Constantinopolitana perdurasse probat. Quid ergo Præsul hic, Dallæo Judice, abrogavit? Pœnitentiarium, inquit, ejusque munus, in quo a magna Theologorum Catholicorum parte non dissentit. Verum e facto Nectarii nihilominus evincere conatur, nullum ea ætate confessionis, quam *auricularem* dicimus, vestigium adparere, nec eam in more positam fuisse. Quare? quia neque Socrates, neque Sozomenus, neque Nicephorus, addat, si velit, etiam Theophanem, dum Pœnitentiarium sive institu-



tionem, five abrogationem narrant, ullam
 fatæ confessionis mentionem reddunt. Egre-
 gium rursus Dallæanæ specimen ratiocinatio-
 nis: at quoniam isthæc Nectarii historia præ-
 cipuus a nuperis hæreticis aries esse putatur,
 quo Sacramentalem Confessionem subruant, in
 id mihi connitendum, ut ostendam, & insig-
 niter ipsos falli, & verissime a Petavio dictum,
 eos „ *inscitiae suæ monimentum in hac objicienda*
nobis historia defixisse potius, quam momentum
ullum ad causam suam adtulisse. „ loc. cit.

Initio vero adsentiri minime possum La-
 tino Latinio Viterbiensi, & Cæsari Baronio
 Eminentissimo Annalium Ecclesiasticorum pa-
 renti, ad annum Ch. 56. qui variis moti con-
 jecturis Socratis, & Sozomeni de facinore
 Nectarii narrationem inter anicularum fabu-
 las amandant, & confictam ab iis in favo-
 rem Novatianorum arbitrantur. Fuerint hi,
 & tanquam sublestæ fidei homines in nonnul-
 lis habeantur, non repugno; quis tamen cre-
 dat, frontem eos adeo expudoratam induisse,
 ut factum recens, & adeo solemne publicis con-
 signando monumentis tam splendide ea ipsa
 tempestate mentirentur, qua a Synchronis
 apertæ falsitatis redargui poterant? quis sibi
 persuadeat, mendacem esse historiam, „ *quæ,*
 ut ait Card. Bellarminus, *tum scribebatur, quum*
adhuc viverent, qui rei gestæ interfuerant, præ-
ser-

sertim quum res, quæ narratur, non in angulo aliquo, sed in Urbe celeberrima, conscio populo universo, contigisse dicatur? „ l. 3. de Pœn. c. 14. Verum & factum istud S. Epiphanius, Cassiodorus, Nicephorus, Theophanes absque ulla Socratis, aut Sozomeni reprehensione suis historiis inseruerunt. Quamobrem Card. Baronius, Latiniusque a viris ceteris, quotquot hactenus eruditionis laude floruerunt, ad sensum impetrare non poterant; eorum vero conjecturas post alios novissime solvit Franciscus Antonius Zacharia, post Magni Muratorii fata Bibliothecæ Mutinensi Præfectus Diatriba de Pœn. Constantinopoli a Nectario sublata. Neque audiendi sunt doctissimi Viri Thomas Waldensis Tom. 2. c. 141. & Melchior Canus Ep. Canariensis de Pœn. P. 5. ad Sext. ille Sacri Carmelitarum, inclyti hic Prædicatorum Ordinis alumnus, qui in ea versantur opinione, ut Nectarii facto Confessionem Sacramentalem revera fuisse abrogatam existiment; cujus quidem causa posterior hic Nectarium excusat, prior graviter ipsum, & hujus consilii suggestorem Eudæmonem Presbyterum Alexandrinum deliquisse adfirmat: & jure id optimo a Waldensi prolatum, si tantum Patriarcha flagitii genus adtentare fuisset ausus; quamquam, data hac hypothese, evanidus nihilominus esset Calvinii conatus, quum ideo Lex Divina non desinat esse, quod illius non



desit prævaricator. Nullo tamen pacto induci possum, ut credam, eo temeritatis delapsus fuisse Nectarium, ut id refigeret, quod ob non intercisam a Christiani nominis exordio ad ea usque tempora in Ecclesia traditionem, a Christo institutum norat. Quod si tamen id fuisset adgressus, ad sensumne a ceteris Episcopis, qua pietate, qua doctrina clarissimis extorsisset? vehementer ambigo. Porro tantum abest, ut Nectarii facto Sacramentalem Confessionem abolitam quis fuisse dicat, ut ipso potius non mediocriter conroboretur; quemadmodum deinde ostendam.

Quid vero tandem illud est, quod Nectarius abrogavit? Theologi, Criticique varias iniere vias, ut veritati patrocinentur. Opinio Card. Bellarmini est, Novatiani Schismatis occasione Presbyterum fuisse institutum, qui publicas fidelium confessiones exciperet; quum Cassiodorus ita Sozomeni verba reddat: „*Visum est antiquis Pontificibus, ut velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur, & ad hanc rem Presbyterum bonæ conversationis, servantemque secretum statuerunt &c.* „ lib. 9. Hist. Tripart. c. 35. Atque ut nodum extricet, quomodo cum publica peccatorum confessione summa, quæ requirebatur, conciliari potuerit Pœnitentiarii taciturnitas, ait, vulganda tantum fuisse peccata publica, cetera



tera vero silentio prudentis Presbyteri premi oportuisse: ergo Nectarius, ita sentiente Bel-larmino, hunc Presbyterum confessioni, ac poenitentiae publicae praefectum, ipsamque adeo confessionem publicam abrogavit, motus nimirum scandalo, quo matrona nobilis, dum alia peccata, quae publica erant, palam confiteretur, longius aequo progressa, occultum etiam illud cum Diacono patratum facinus aperuit. Publicam criminum enarrationem decreto Nectarii suppressam esse, sentiunt quoque Joannes Fischerus Ep. Rossensis, & illustris Martyr sub Henrico VIII. Anglorum Rege, Card. Perronius, Morinus &c. quamvis in eo non conveniant universi, publicane tantum publicorum, an occultorum etiam scelerum confessio in usu fuerit: & hinc, num publicam duntaxat horum, an illorum item confessionem Nectarius abrogarit. Doctissimus Dionysius Petavius, cujus *semper honos, nomenque suum, laudesque manebunt*, Animad. ad Hæres. 59. rejecta Cassiodori lectione, quam a Græcis Sozomeni codicibus abhorrere contendit, Nicephorianam adoptat, in qua ita legitur: „*Grave autem Episcopis, qui proxime post Christum fuere, visum est, in media plebe, velut in theatro, noxam confiteri* &c. l. 12. c. 28. Negat idcirco, prioribus iis Ecclesiae Sæculis confessionem publicam criminum sive publicorum, sive occultorum viguisse, si paucos



exceperis, quos ex abundantia quadam doloris, & ad aliorum ædificationem delicta sua palam enarrasse accepimus. Negat proinde, matronam illam suum facinus pro concione edixisse, aut manifestationem ejus ad Sacramentalem exomologesin esse referendam. Mulieri nimirum, posteaquam Pœnitentiario peccata sua confessa est, pœnitentiæ exercitationes in Ecclesia obeunti, stuprum Diaconus intulit, quod flagitium illa prodidisse quidem, non tamen palam, & in publico cœtu exposuisse legitur; Nam græca illa Socratis verba: ἡ δὲ γυνὴ προβαίνουσα, καὶ ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγορεῖ, non recte vertit interpretes: „*Mulier longius in confitendo progressa, alterius culpæ seipsam insimulat.* „ Equidem τὸ προβαίνουσα non significat: *Ulterius in confitendo progredi*, sed: *procedente tempore*; ut adeo sensus sit, mulierem, dum diutius in Ecclesia pœnitentiæ operibus vacaret, compressam fuisse a Diacono, illudque nefas coram Pœnitentiario deposuisse; consentaneum id Sozomeno narranti, vim passam fuisse matronam, dum obeundæ pœnitentiæ causa in Ecclesia moraretur. Quare sacrilegio divulgato Diaconus gradu suo dejectus est, & abrogato Pœnitentiario, publicam quoque pœnitentiam, lacrymis, luctu, stationibus, crebrisque precibus agi solitam, Nectarius abolevit, & cuiusvis integrum esse voluit, ut suapte fretus conscientia-

scientia mysteria sacra frequentaret, quin ad publicam illam criminum expiationem, ante communionem, pacemque observari consuetam adstringeretur. Itaque, sententia Petavii, non publica peccatorum confessio (quam nec Divino, nec humano jure unquam fuisse præceptam docet) sed publica cum pro occultis, tum pro publicis criminibus pœnitentia sublata fuit.

Hæc Petavii opinio majorem præ ceteris mihi semper visa est veri speciem præferre, præcipue, si ad gravissimam Leonis Magni auctoritatem attendatur, qui hanc confitentorum palam peccatorum consuetudinem, ceu præsumptionem Apostolicæ regulæ contrariam reprobavit. Epist. 136. Ipsa etiam Tridentina Synodus pondus non leve huic sententiæ adjicit, sive, quum docet, publicam confessionem nullo Divino præcepto mandatam fuisse; sive, quum subjungit, neque satis fore consultum, si humana aliqua lege præciperetur, „ *ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.* „ Sess. 14. c. 5. Ajo igitur, Nectarii decreto Presbyterum Pœnitentiarium fuisse amotum, abolitamque pœnitentiam illam publicam, cui post Novatianum schisma ille eo consilio præerat, ne quisquam prius ad sacra mysteria accederet, quam injunctas sibi pœnas persolvisset. Utrum-



que fustulit Nectarius, ne facinus deinceps tale, quale Diaconus admiserat, viris, foeminisque in Ecclesia poenitentiae, luctusque causa demorantibus patraretur. Conforme hoc est, ni omnia me fallant, Sozomeno, quum de Nectario dicit: *ἐπαύσε τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερον...* *Aboluit Presbyterum, agenda poenitentiae praefectum.* Dum autem Petavio, aliisque Viris eruditis, idem sentientibus, adhæreo, non infirmari, sed celebri hoc facto plurimum etiam juvari dogma Sacramentalis Confessionis ostendo. Quippe refert Sozomenus, refert Nicephorus „ *Quum in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio jure merito visum esse Sacerdotibus, tamquam in theatro, circumstante totius Ecclesiae multitudine, crimina sua evulgare: itaque ex Presbyteris aliquem, qui vitae integritate spectatissimus esset, & taciturnitate, ac prudentia polleret, huic officio praefecerunt, ad quem adcedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur: ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, poenae loco indicens, absoluebat confitentes, ab se-ipsis poenas criminum exacturos* „ loc. cit. En verbis his non obscure adsertam Confessionis necessitatem, usum exomologeseos arcanae apud Sacerdotem prudentem, silentiique tenacem, denique Sacerdotis hujus institutionem ab initio, ut inquit Sozomenus, vel ab Episcopis, qui

proxime post Christum fuere, ut scribit Nicephorus, adeoque longe ante hæresin Novatianam, eo quidem consilio factam, ne peccata palam, & velut in theatro evulgarentur. At non unus erat in Ecclesiis Presbyter, secretis fidelium confessionibus excipiendis destinatus; quis enim naris tam obesæ sit, ut credat, Presbyterum unum tantæ hominum frequentiæ satisfacere potuisse, quanta Constantinopoli, Antiochiæ, Alexandriæ, atque in aliis amplissimis urbibus pœnitentiæ remedio indigebat? ergo præter dictum Presbyterum alii plures ad audiendæ Sacramentalis Confessionis munus erant designati; porro Nectarius unum tantum Presbyterum Pœnitentiarium, illum nempe, qui peculiari quadam ratione post Novatianum schisma constitutus fuerat, ut publicæ pœnitentiæ præesset, abrogavit: itaque ceteri in officio perstiterunt. Confirmat hoc Eusebius, referens, Serapionem quemdam in persecutione lapsum, quum ad extrema devenisset, exclamasse: *Properate, quæso, & me quantocyus absolvite: accersete mihi unum ex Presbyteris.* Lib. 6. Hist. Eccl. c. 44. Confirmat hoc S. Cyprianus, & Origenes. Ille exomologesin ait fieri *apud Sacerdotes*: l. de Laps. hic vero monet, sedulo adtendendum esse, cui potissimum spiritali Medico vulnera animæ tractanda oporteat exhibere. Hom. 2. in Ps. 37. Confirmat hoc S. Joannes Chrysostomus, Nectarii



rii Successor, vel quisquis est auctor homiliarum in Matthæum, insinuans, omni cura ante communionem recipiendam esse a fidelibus reconciliationem, & pacem, atque hujus rei causa Presbyterum in Ecclesia sedere. Hom. 33. in Matth. Data hactenus responsione Calvinianæ cavillationi abunde reor fuisse satisfactum. Neque felicior est Joannis Dallæi conatus in elevanda Sacramentali Confessione e laudatorum Historicorum de ea silentio. Non enim siluerunt omnino; quippe, Socrate narrante, Matrona illa Pœnitentiario delicta post Baptismum ab se patrata *κατὰ μέρος*, id est, *singillatim* confessæ est, quod non minus e Sozomeni, & Nicephori relatione colligitur. Et quid, si tacuissent omnino, Dallæus evinceret? cur enim Sacramentalis Confessionis meminisse debuerant? quid hoc ad Pœnitentiarii abrogationem?

Id autem quærunt Eruditi, quomodo exortum sit in Ecclesia Constantinopolitana scandalum, ob quod Nectarius Eudæmone suggerente Pœnitentiarium expunxit. Qui publicam viguisse sustinent peccatorum confessionem, cum Thomassino, Berti, aliisque arbitrantur, Matronam ipsam suum scelus imprudente quodam impetu abreptam inter alia peccata cum gravissima populi commotione detexisse; alii in inconsultum Pœnitentiarii zelum id rejiciunt, quasi culpa illius tam enorme fla-




flagitium, cimmeriis velandum tenebris, fœmina palam edicente, in apricum prodiisset, quam & causam fuisse dicunt, cur Pœnitentiarii munus exspirarit; verum hæc non probantur iis, qui confitendorum publice scelerum consuetudinem aliquando lege quadam in Ecclesia receptam fuisse negant; minus vero adridet, quod fingit Henricus Valesius in Adnot. ad Socrat. Pœnitentiarium, audita mulieris exomologesi Sacramentali, & agnito sacrilegio a Diacono, ad se accersito, flagitii sui manifestationem extorsisse, illudque deinde, reticito mulieris nomine, Episcopo nunciasse. Quomodo enim hæc cum summa, quæ in Pœnitentiario exigebatur, secreti tenacitate, quomodo cum integritate sigilli, cujus tum non minus, atque hac ætate, maxima erat religio, conciliari possunt? Sane si hac via fama sceleris in vulgus manasset, quis errorem novissimum priori pejorem, majorique Pœnitentiarium, sigilli violatorem, pœna fuisse dignum non diceret, quam Diaconum stupratorem? eum tamen neque a populo, neque a clero, neque a Præsule, neque ab historicis ob violatam sigilli religionem vel reprehensum, vel notatum legimus. Itaque censendum, nulla Presbyteri culpa crimen illud fuisse propalatum: suadet id muneris publici abrogatio, quin tamen in hominem eo perfunctum animadverteretur; suadet populi, non ob infractum sigillum, sed
ob



ob contumeliam, Ecclesiæ *in*latam, indignantis commotio, ut loquitur Sozomenus. Ergo mulier ipsa, vel sceleris admitti dolore, odioque inflammata, Diaconi audaciam, ut conjicit Zacharia, *loc. cit.* amicæ cuidam mulieri, & hæc aliis, ut fieri adsolet: vel advolans ad Pœnitentiarii tribunal, nec verita quidquam laicorum adstantium præsentiam, ipsi Presbytero palam infandum scelus aperuit. Factum hac ratione, ut plebs atrocitate criminis, & ob infamiam Ecclesiæ adpersam irritata, non modo Pœnitentiarium carperet, quod matronam in Ecclesia morari jussisset: verum etiam facinus isthoc, velut muneris, quo fungebatur, effectum esse garriret, & officium proinde, adeo periculis plenum, abolendum clamitaret. Quamobrem, nulla quidem Pœnitentiarii culpa intercedente, suasum tamen ab Eudæmone, ut Pœnitentiarium Presbyterum expungeret Nectarius, unumquemque vero, quemadmodum narrat Socrates, pro arbitrio, & animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem adcedere fineret, quum fieri aliter vix posset, ut Ecclesia ab omni probro liberaretur. Paruit monenti Præsul, instituitque, ne post Sacramentalem deinceps Confessionem publicæ illius pœnitentiæ usus fieret, cui, ut juxta canones perficeretur, Presbyter præerat, atque adeo occasionem præcidit, ne simile facinus ii, qui alias in Ecclesia, obeundæ pœnitenti-



tentiæ causa morari consueverant, adtentarent. Porro, sublato Pœnitentiario, unicuique permittitur integrum, ut pro arbitrio, animique sui conscientia sacra mysteria frequentaret. At ideo nemo dicat, eum vel confessionem arcanam, vel omnem pœnitentiam publicam sustulisse. Non primum, ut jam sæpe inculcatum est; fecit enim duntaxat potestatem singulis ad communionem adcedendi, quin sese Pœnitentiario secundum veterem disciplinam subjicerent, dummodo tamen, secreta confessione apud quemdam Sacerdotum peracta, conscientiam a mortalis peccati macula, si qua conspersa foret, expiassent. Non alterum etiam, quia neque pœnitentibus vetuit, quominus pro criminum varietate, si vellent, pœnitentiæ publicæ obire exercitationes possent: neque sibi, aut successoribus potestatem ademit, eos a sacris arcendiysteriis, & ad pœnitentium squalorem reponendi, qui scelus aliquod enormius commisissent. Hinc non exoleverunt continuo propter Nectarii factum pœnæ canonicæ apud Græcos, & publica quoque pœnitentia diu post obitum ejus in Ecclesia Orientali viguit, ut Eruditi Viri ex S. Joanne Chrysofomo Nectarii Successore, S. Nilo Chrysofomi discipulo, Concilio Trulano, Joanne Jejunatore, Methodio, aliisque demonstrarunt. Ipsum porro Pœnitentiarii munus, etsi Constantinopoli abrogatum, in



Occidentali Ecclesia tamen, præcipue Romæ, perstitisse memorat Sozomenus, ac Theophanes. Præterea negandum haud est, Pœnitentiariorum, publicoque illo pœnitentiæ ritu sublato, improbos licentius peccasse, & veterem ideo Ecclesiæ disciplinam non mediocriter fuisse labefactatam; qua de causa Eudæmonem hujus facti suasorem arguebat Socrates, & Sozomenus etiam acerbius querebatur. Neque mirum, quum pœnitentiæ deinceps vix alii subjecti fuerint, quam, qui eam aut sponte susceperant, aut insigne quoddam flagitium perpetrarant, ob quod vel a Presbytero audita Confessione, vel ab Episcopo ad agendam publicam pœnitentiam adstringebantur. Hæc ad famosum Nectarii factum, de quo amplius differuerunt Petavius, loc. cit. Bellarminus, l. 3. de Pœn. c. 14. Morinus, l. 2. de Pœn. c. 9. Witassius, De Confess. Q. 4. A. 3. Tournelius, Q. 6. A. 2. Natalis Alexander, Dissert. cit. Jueninus, Q. 5. c. 1. A. 3. Berti, Theol. Discip. l. 34. P. 2. c. 1. Zacharia Diatriba cit. Mansi, Cont. Balsag. & ex Ordine nostro Frassen, De Pœn. Disp. 2. A. 3. Sect. 2. Q. 1. & Laurentius Card. Cozza Comment. Hist. Dogm. P. 2. c. 16. Ad convellendas alias hæreticorum objectiunculas transeo.



ARTICULUS QUARTUS.

Frustra Patrum, ac Theologorum
auctoritatem ad sui heterodogmatis
patrocinium contorquent No-
vatores.

In sententiam, quam Ecclesia Catholica tue-
tur, universos venerandæ antiquitatis Pa-
tres conspirantes vidimus; at contra nituntur
Sectæ Calvinianæ homines, & plurimos ex iis,
quos orthodoxæ veritatis testes adpellavi, suis
a partibus in hac causa stetisse mordicus existi-
mant; jurene, an injuria, pervestigemus. Ad-
feram Patrum illorum dicta, in quibus ii tri-
umphum agunt, & maxime tripudiant. Pri-
mus vero in aciem Origenes Adamantius du-
citur, qui variis Legis antiquæ sacrificiis enu-
meratis, quæ pro culpis expiandis fieri con-
sueverant, quosdam e suis auditoribus ita lo-
quentes inducit: „ *Melius agebatur cum anti-
quis, quam nobiscum, ubi oblatis diverso ritu sa-
crificiis, peccantibus venia præstabatur. Apud
nos uno tantum modo est venia peccatorum, quæ
per lavacri gratiam in initiis datur. Nulla post
hæc peccanti misericordia, nec venia ulla concedi-
tur.* „ Hom. 2. in Levit. Ita conquerebantur
Origenis auditores; at qua fronte ita conquere-



ri poterant, si tum Sacramentalis Confessionis disciplina viguit? Et cur, si hæc usu recepta fuit, Origenes talia objectantes non redarguit, non repressit, non refutavit? Verum enimvero videte, quæso, Novatores! quo vestra vos in præceptis ratiocinandi vis abripiat. Tantum agitis, quum ex hoc Origenis loco Sacramentalem exomologesin impugnatis, ut simul omnis tum pœnitentiæ, omnis etiam coram Deo solo confessio, si consequenter arguatur, infructuosa penitus, imo prorsus non existisse censeari valeat. Ita porro, quo vos hanc, ita vestram ego consecutionem rejicio. Erant homines, qui sensum adeo crudelem Ecclesiæ adfingebant, de immisericordi Cataphrygum hæresi, qui peccata lethalia post Baptismum patrata non posse ab Ecclesia remitti comminisciebantur; hos autem e vestigio redarguit, reprimit, refutatque Adamantius, qui sex modis, quibus in Lege Gratia venia criminum obtinetur, adlegatis, eadem Homilia subjungit: „ *Est adhuc septima, licet dura, & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, quum lavat peccator in lacrymis stratum suum, & quum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum.* „ Ecce adsertam clarissime Sacramentalis Confessionis disciplinam. Solutionem aliam suppeditat Cl. Natalis Alexander in laudata toties Dissertatione, quam adversus Dallæum adornavit; sed supervacaneum



judico, explicando diutius Origeni immorari; sui enim ipfius cum alibi, tum Homilia 2. in Psalmum 37. luculentiffimus interpres est.

Ab Origene ad Basilium in Pf. 57. ad Hilarium Pictaviensem in Pf. 51. ad Ambrosium l. 10. in Luc. c. 22. ad Augustinum in Pfal. 31. tranfeunt heterodoxi, nullam ab iis confessionis homini faciendæ neceffitatem agnitam fuiſſe contendentes; quum, productis in medium David gementis, Petri flentis, aliorumque pœnitentium exemplis, cordis gemitum, oculorum lacrymas, ſolam denique contritionem, factamque Deo confessionem ad conſequendam ſcelerum remiſſionem valere docuerint. Aſt incassum rurfus adverſus Catholicam veritatem Patrum horum ſententiæ nobis occinuntur. Quid ii reapse cenſuerint, non uno in loco comprobatum fuit. Expli-cent factionis Calvinianæ homines prolata nuper tot ſplendida pro Sacramentali Confessione testimonia, eaque, ſi poſſunt, errori ſuo adcommodent, ſed perſpicue, ſed apte, ſed conſequenter. Ad productas nunc eorum auctoritates facillime reſpondeo; agunt ii de contritione perfecta, de dolore caritate formato, de confessione cordis, neque tamen idcirco confessionem oris exterminant; quum hujus votum in illa comprehendatur. Sed de confessione oris his in locis neque verbulo



meminerunt ; verissimum id quidem : addo ,
 neque , ut mentionem de ea redderent , neces-
 sarium fuisse ; quippe pœnitentiam regii Psaltis,
 & Petri Principis Apostolorum describebant ,
 quibus confessione Sacramentali , priusquam
 institueretur , opus non erat . Ad S. Grego-
 rium Nyssenum Magni Basiliæ fratrem digre-
 diuntur . Scribit hic Ep. ad Letoj. Patres ,
 qui pœnitentiæ canones ediderunt , missa in
 iis fecisse avaritiæ peccata . Cur ? in promptu
 causa est , inquiunt Sectarii ; quia existimarunt ,
 ea non esse per confessionem expianda . Esto
 id parumper ; infero : ergo cetera peccatorum
 genera , quæ canonibus inseruerunt , confes-
 sioni Sacramentali secus , atque heterodoxi vo-
 lunt , erant subjicienda : itaque loco hoc Nyf-
 seni firmatur , non infringitur sententia Catho-
 licorum . Mittamus autem hæc . Differit S.
 Gregorius Nyssenus de pœnis publicis , & ca-
 nonicis , quæ , quum a Patribus in avaritiæ
 peccata , cuius indoles inexplebilis est , decre-
 tæ non fuerint , hæc in finem præsentem præ-
 termissa fuisse adseverat : quum tamen in cen-
 sum criminum lethalium veniant , quis dubi-
 tet , ea confessione , & pœnitentia privata ex-
 pungi oportuisse ? Non id inficiatur , sed
 adserit Nyssenus in cit. Epistola . Legat Dal-
 læus , legant Novatores ceteri canonem sextum ,
 & nisi veritati claudere oculos velint , vide-
 bunt , avaritiæ morbo laboranti præsto esse



medicinam, Si per Anunciationem peccatum suum
Sacerdoti aperiat, atque largiendo pauperibus,
quæ habet, pravam ex animo cupiditatem era-
dicet. (9)

Omnes vero vim in S. Joanne Chryso-
stomo ponunt, qui proximus erat Nectarii in
Sede Constantinopolitana successor. Plu-
rima sunt, quæ ex eo depromere consueve-
runt, omnibus abusi tamen, ut suum errorem
tutarentur. Quæ urgentiora ad speciem ad-
parent, producimus, ceteris, quæ in idem re-
cidunt, prætermittimus. Primo quidem plana
hæc esse videntur S. Patris verba: „ Deo so-
li dic peccatum tuum, & dimittitur tibi pecca-
tum. „ (10) Neque minus perspicua, quæ
habet contra Anomæos inquiens: „ Quamob-
rem etiam, atque etiam hortor, rogo, & oro,
ut frequenter Deo confitearis. Neque enim te
ad consessorum tuorum theatrum duco, neque
peccata hominibus patefacere cogo; conscientiam
coram Deo explica, ipsique vulnera ostende, ab
eoque pete medicamenta. Ostende non exprobranti,
F 3 sed

(9) ἔτα δι' ἐξαγορεύσεως τὸ πλημμέλημα αὐτῆ
τῷ ἱερεὶ φανερώσας. Can. 6.

(10.) Θεῷ μόνῳ εἰπέ τὴν ἁμαρτίαν σου, καὶ
συνχωρεῖταί σοι ἡ ἁμαρτία. Homil. 6. de
Pœnit.



sed curationem adhibenti ; licet enim tu taceas, ille novit omnia. ,, (11) Rursus in Catechesi ad illuminandos. ,, Non hoc autem solum mirandum, ait, quod nobis peccata dimittat, sed quod etiam ea non detegat, patefaciat, & manifestet. Neque nos cogat in medium adductos errata commissa effari, sed ipsi soli rationem reddere, & confiteri jubeat. ,, (12) His, & ejusmodi testimoniis, quæ profert Os aureum, totam elevari

(11) διὰ τοῦτο παρακαλῶ, καὶ δέομαι, καὶ ἀντιβολῶ ἐξομολογεῖσθαι συνεχῶς τῷ Θεῷ. οὐδὲ γὰρ εἰς δέατρον σε ἄγω τῶν συνδούλων τῶν σῶν, οὐδὲ ἐκκαλύψαι τοῖς ἀνθρώποις ἀνανκάζω τὰ ἀμαρτήματα. τὸ συνειδὸς ἀνάπτύξον ἔμπροσθεν τῆ Θεοῦ, καὶ αὐτῷ δεῖξον τὰ πράγματα, καὶ παρ' αὐτῆ τὰ φάρμακα αἰτησαι. δεῖξον τῷ μὴ ὀνειδίζοντι σε, ἀλλὰ θεραπεύοντι. καὶ γὰρ σὺ σιγήσης, οἶδεν ἐκεῖνος ἅπαντα. Homil. 5. de incomprehensibili.

(12) τὸ ὃ μόνον ἐστὶ τὸ θαυμαστόν, ὅτι ἀφίησεν ἡμῖν τὰ ἀμαρτήματα, ἀλλ' ὅτι αὐτὸ οὐδὲ ἐκκαλύπτει, οὐδὲ ποιεῖ αὐτὰ φαιερά, καὶ δῆλα, οὐδὲ ἀνανκάζει παρελθόντας εἰς μέσον ἐξαιρεῖν τὰ πεπλημμελημένα, ἀλλ' αὐτῷ μόνῳ απολογησασθαι κελεύει, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐξομολογήσασθαι. Homil. 21. ad Popul. Antioch.



vari Confessionis oralis, hominique faciendæ necessitatem clamitant pseudo-reformati. Nihil tamen streperis eorum vocibus commoveor, quum persuasum habeam, nihil minus verum esse, quam admirandum hunc Ecclesiæ Græcæ Demosthenem eorum errori fuisse patrocinatum, ut quivis ex iis, quæ Articulo secundo delibata sunt, perspicit. Doctissimorum igitur Cardinalium Baronii, Bellarmini, Perronii expositiones pertransiens, respondeo, Magno Chrysofomo his, aliisque in locis ad finibus sermonem esse, vel de quotidiana conscientia discussionem, vel de contritione perfecta, quæ peccata quævis expungit, quin reapse præsens interveniat Sacerdotis ministerium; vel de illius demum confessionis necessitate, quæ fieret coram populi multitudine cum pudore, ac infamatione peccatoris: hinc ait sufficere, si peccata soli Deo, ac sine testibus, id est, Sacerdoti Dei ministro, aliorum nemine, qui confitentem probris laceffat, audiente, manifestentur: neque aliud nomine confessionis Deo soli factæ præter Confessionem Sacramentalem intelligit, quam peccator coram Sacerdote, qui Dei minister est, summaque sigilli religione tenetur, deponit. Ne vero extortam quis, & precario adsumptam esse interpretationem hanc existimet, ad loquendi modum Chrysofomo familiarem provoco, qui in Sacramentis omni-



bus non homines, sed Iheum solum operari adfirmat, quin hominis ministerium per hoc amoliatur. Sic loquens de Sacramento Baptismi: „ Quemadmodum enim, dicit, quando Sacerdos baptizat, non ipse te baptizat, sed Deus est, qui invisibili potentia caput tuum continet, & neque Angelus, neque Archangelus, neque ullus quispiam adcedere, ac tangere audet: sic etiam nunc; quando enim Deus regenerat, ipsius solius est donum. (13.) Ergo, qui confitetur Sacerdoti peccata sua, personam Christi sustinenti, non ducitur ad theatrum, ut ea suis conservis manifestet, neque cogitur ea hominibus patefacere, sed soli Deo confitetur, non exprobranti, sed curationem adhibenti. Neque Sacerdos, ut homo, atque conservis confessionem recipit poenitentis: quemadmodum nec baptizat, docente Chrysofomo, ut homo, sed ut minister personam Christi gerens, omnium Auctoris Sacramentorum, & institutoris. Revera phrasis hæc Chrysofomia-


(13) ὡςπερ γὰρ, ὅταν βαπτίζῃ (ὁ ἱερεὺς) οὐκ αὐτὸς σε βαπτίζει, ἀλλ' ὁ Θεὸς ἐστὶ, ὁ κατέχων σου τὴν κεφαλὴν ἀοράτῳ δυνάμει, καὶ οὔτε ἄγγελος, οὔτε ἀρχάγγελος, οὔτε ἄλλος τις τόλμᾳ προσελθεῖν, καὶ ἀψασθαι; οὕτω καὶ νῦν, ὅταν γὰρ ὁ Θεὸς ἀναγεννᾷ, αὐτοῦ μόνου ἐστὶν ἡ δωρεά. „ Homil. 50. in Matth.

miana hodie in Ecclesia Græca, Cl. Goario observante, viget; Sacerdos enim, confessionem Sacramentalem excepturus, hoc fere modo pœnitentem adloquitur: „*Frater! cur adcessisti ad Deum, & ad me? ne erubescas, non enim mihi enuncias peccata, sed Deo, coram quo consistis* „ (14) Ita, neque aliter accipiendas esse S. Joan. Chrysofomi sententias, suadent ea, quæ alias pro catholico dogmate disertissime dixit: suadet etiam citatis in locis perpetuum, sibi que constans orationis filium. Dum hortatur, ut uni Domino peccata confiteri non erubescamus, exomologesin, solo audiente Deo, Deique ministro factam, opponit manifestationi criminum, quæ olim in magno iudicii die, Mundo universo inspectante, ac audiente fiet; non de alia hic exomologesi loquitur, quam de ea, quæ secreto ad aurem Sacerdotis peragitur, & de qua supra Samaritanæ mulieris exemplum adlegans differuerat; cur enim secus ad superandam nos verecundiam excitaret? nonne Deo peccata nostra magis cognita sunt, quam nobis ipsis, qui ea perpetravimus? Profecto in omnibus, quæ solerter congerunt heterodoxi, Joannis Chry-

F 5

sofsto.

(14) ἀδελφὲ δι' ὃ ἦλθες πρὸς Θεὸν, καὶ πρὸς ἐμὲ? μὴ ἀισχυνηθῆς, ἔ γάρ ἐμὸ ἀναγγέλλεις τὰ ἀμαρτήματα, ἀλλὰ τῷ Θεῷ, ἐν ᾧ ἴσασαι. Orat. sup. Pœnit.



solum testimoniis ne vestigium quidem repu-
 diatæ Sacramentalis exomologeseos, aut nega-
 tæ hujus necessitatis reperitur: nimirum con-
 fessionem soli Deo factam adpellat, quæ fit ad
 aurem Sacerdotis: hujus tribunal inquisitionem
 vocat conscientiæ, quum iudicium in eo sine
 testibus instituatur: iudicium istud, cui solus
 Sacerdos, & pœnitens interest, iudicio, quod
criminale dicimus, opponit, in quo causa ca-
 pitis agitur, atque rei summo cum opprobrio
 ad supplicium raptantur; dum econverso pec-
 cator in sacro tribunali secreto suas fatetur cul-
 pas coram Deo, qui suum per ministrum ar-
 cano eadem relaxat, quin metuendum ille
 habeat, ut ullo coram plebe pudore suffunda-
 tur. Hæc ad Chrysostrum.

Nunc, an alii Patres Calvinianis faveant,
 dispiciendum. Qui vero hi? Julianum Pome-
 rium, Laurentium Novariensem, Eligium No-
 viomensis, & Ven. Bedam nominant. Prior
 horum, qui Sæculo V. floruisse dicitur, ita
 disserit: „ *Illi, quorum peccata humanam noti-
 tiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis
 publicata, si ea confiteri, aut emendare noluerint,
 Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt
 & ultorem* „ l. 2. de vita contempl. c. 7. Audi
 porro, & vim argumenti, quod inde eliciunt,
 admirare: Pomerius criminum occultorum
 reis divinam ultionem denunciat, si ea vel



non confessi fuerint, vel non emendarint: adeoque hujusmodi peccatoribus confessionem, aut emendationem proponendo, alterutrum ad salutem sufficere arbitratur, ita quidem, ut etiamsi non confiteantur, emendent autem peccata, tutos omnino sese a vindicis Dei manu constituent, veniamque peccatorum adsequantur: ubi ergo decantata tantopere confessionis necessitas? Admirandam sane vel unius particulæ trium literularum energiam, qua defensata hæctenus Catholicorum doctrina uno velut ictu succutiatur! sed bonis factum Superis, ut in τὸ *Aut* eorum instar, qui sunt de trivio, ludere Novatores videantur. Particula isthæc non raro cum a sacris, tum a profanis Scriptoribus conjunctim accipitur, neque Pomerius eam aliter usurpavit; quum secus ad peccatorum veniam sola horum sufficeret confessio, quin vitæ sequeretur emendatio, quod oppido foret paradoxum. Genuinus hic verborum sensus est: „*Deus ultor erit eorum, qui peccata occulta vel non confitentur, vel si ea confiteantur, non se emendant, & veluti canis ad vomitum redeunt:* „ Monitos porro velim adversarios, de secreta, & Sacramentali peccatorum confessione sub citati capituli initium disertam a Juliano reddi mentionem, dum ait: „*Quum vero nobis, fratres, quilibet peccata sua, tamquam Medicis vulnera, quibus urgentur, aperiunt, operam dare debemus,*
ut



ut quantocyus ad sanitatem, Deo auctore, per-
veniant, ne in pejus dissimulata curatione profi-
cient. „ Pomerius igitur eorum heterodogmati
 non favet, sed adversatur. Ad reliquos pro-
 grediamur. Clara, inquit, Laurentii No-
 variensis Hom. 5. de Pœn. sententia est, Bap-
 tismatis lavacro semel regeneratis, si rursus in
 peccata labantur, non opus esse deinceps
 Doctore, non dextera Sacerdotis; sed in ip-
 sis peccatoribus existere fontem, quo tingi,
 quo ablui valeant; videantur ejus verba apud
 Nat. Alexandrum, cit. Dissert. §. 32. quibus
 manifeste omnem confessionis necessitatem e-
 versam clamant. Nihil vero minus ex iis erui
 posse existimo, ni & Calviniani habere velint
 (quod tamen ægre dabunt) neque Doctoribus
 post Baptisma opus esse, quum & hoc dixerit
 Novariensis. Duplicem ille Baptismum distin-
 xit, aquæ nimirum Sacramentalis, & lacry-
 marum, imitatus Patres antiquiores, qui Pœ-
 nitentiæ Sacramentum Τὸ τῶν δακρύων βάπ-
 τισμα, *Baptismum lacrymarum* adpellarunt. Prio-
 ri qui semel tinctus est, opus non habet
 dextera Sacerdotis, ut iterum tingatur; quum
 Baptismus valide semel conlatus absque grandi
 sacrilegio repeti nequeat. Quodsi homo de-
 inceps peccet, stolamque candidam in rege-
 neratione acceptam coinquinet, necessarium
 ei esse dicit Baptismum lacrymarum, sive pœ-
 nitentiam, qua maculas detergat, & quæ in



Lege Gratiae confessionem Dei ministro faciendam includit. Quid autem momentosum illud, quod S. Eligius Noviomensis Antistes adversus exomologesin statuit? docet ille Homil. 4. peccata caritatis adfectu, eleemosynis, lacrymis, confessione, cordis & corporis afflictione, morum emendatione, Sanctorum intercessione, injuriarum denique liberali condonatione aboleri; continuo Dallæus infert: ergo quum adeo multiplex via sit, qua venia criminum obtineri queat, tanta haudquaquam esse videtur confessionis oralis necessitas, quantam Romanæ communionis homines esse jactant, & in cujus locum aliud substitui remedium nequeat. Ast nisi validior admoveatur aries, inconcussa manet Ecclesiæ Catholicæ doctrina; verissimum quippe dixit Eligius, varias esse veniæ peccatorum obtinendæ vias; quamquam illa, si de mortiferis loquamur, nunquam in Lege nova sine confessione, aut hujus voto, ipso S. Præsule testante adquiratur. Vid. Cl. Wittassius de Sacr. Pœn. Q. 4. A. 3. Porro scopus Eligii erat, de multiplici differere modo, quo pœnæ peccatis debitæ expunguntur; ne quis enim, quod virium imbecillitate, aut temporis angustia pressus digna, & peccatorum gravitati respondente pœnitentia fungi non posset, ea de causa in desperationis abyssum præceps rueret, varias pœnæ supplendæ rationes com-

me-



memoravit, quæ cuivis pro conditione status, sexus, vel ætatis congruerent. Quid autem hoc ad rem, de qua disputamus?

Supereft, ut & Ven. Bedæ locus declaretur; nam illius etiam auctoritate Calviniani homines abutuntur. „ Quisquis hæretica pravitate, sunt ejus verba, vel superstitione gentili, vel Judaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore, per Christi gratiam caruerit, necesse est, ad Ecclesiam veniat, coloremque fidei verum, quem acceperit, ostendat. Cetera vero vitia . . . per semetipsum interius in conscientia, & intellectu Dominus sanat, & corrigit. „ lib. 5. in Luc. c. 69. Hæc Beda eximium illud Angliæ decus. Ex quo concludunt illi, præter hæresin, superstitionem gentilem, perfidiam Judaicam, & schisma non esse crimen aliud, quod oporteat Sacerdotibus confiteri. Non opus quidem foret Bedæ testimonium objectantibus respondere; quum necessariam criminum omnium mortiferorum confessionem dilucide in c. 5. Epist. S. Jacobi. insinuarit; ne tamen quidquam dissimulare videar, Godefridi Vindocinensis expositionem adopto. „ *Credens, ni fallor, proposuisti (ad Gulielmum suum quondam Magistrum scribit) quod solummodo quatuor peccata confessione indigebant; cetera vero a Domino sine confessione sanabantur. Quod te invenisse adseris*



in expositione Bedæ de Evangelio, ubi decem leprosi sanati a Domino memorantur. Sed hoc ita intelligendum minime censemus, & juxta fidem Christianam sic intelligere nec possumus, nec debemus. . . . Illa utique quatuor peccata. . . in quantum prævalent, universalis Ecclesiæ castitatem conmaculant. Unde necesse est, ut quicumque istis peccatis, vel uno ex ipsis polluantur, non jam soli Sacerdoti, sicut in ceteris agitur, sed universæ Ecclesiæ confiteantur, & sic ad ejus unitatem redeant, cujus fidem antea impugnabant. Justum est enim, ut qui alios diabolica præsumptione infidelitatem docent, eos etiam publica satisfactione in fide confirment. Et quibus ante fuerunt occasio, & exemplum publicæ perditionis, forma, & exemplum fiant publicæ reconciliationis. Cetera vero vitia, sicut dicis, per semetipsum Dominus sanat, & corrigit. Licet enim omnia, quæcunque sanantur, Dominus sanet, & corrigat, quædam tamen per semetipsum sanare, atque corrigere perhibetur, ea videlicet, quæ sibi privata in confessione revelantur, ut sanentur; sibi dico, quia illi, qui in ejus loco esse dignoscitur. Certum est, nihil hoc certius, omnia peccata, vel crimina confessione indigere, & pœnitentia. „ lib. 5. Epist. 16. Ita egregie Godefridus, quo nihil profecto clarius pro Catholico dogmate, nihil ad retundendos hæreticorum cavillos efficacius adferri potuit.



Jam ad Theologorum, Doctorumque Scholasticorum auctoritatem adpellant. Ordiuntur a Petro Lombardo, cujus ætate nonnulli, ut ipse testatur 4. Sentent. Dist. 17. confessionem soli Deo factam ad consequendam peccatorum veniam sufficere sunt arbitrati. Transiliunt ad Gratianum, qui, ut ajunt illi, quæstionem de confessionis oralis necessitate inter adiaphoras habuit; nam quærens primo, solane cordis contritione, & secreta satisfactione quis Deo reconciliari possit, quin ore confiteatur, subjungit: „ *Sunt, qui dicunt, quemlibet criminis veniam sine confessione Ecclesiæ, & Sacerdotali judicio posse promereri:* „ tum sententia hac plurimis SS. Literarum, & Patrum dictis confirmata, nec non opinionis contrariæ rationibus adductis, nihil definit, sed totum lectoris arbitrio permittit, inquiens: „ *Cui harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur; utraque enim fautores habet sapientes, & religiosos viros. . . Unde Theodorus Cantuariensis ait in Pœnitentiali suo: quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci; quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota fere sancta Ecclesia, quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam.* „ Dist. 1. de Pœn. Itaque Sæculo XII., quo floruit Gratianus, dogma confessionis non ita certum, fixumque erat, ut contendunt Romani; neque post editum Innocentii decretum

tum inter ipsos deessant Pontificios, qui illud vel impeterent, vel in dubium revocarent. Certe Joannes Semeca, vulgo *Teutonicus*, Gratiani glossator, & Michael de Bononia Confessionis oralis necessitatem ad consequendam criminum remissionem aperte rejiciunt; & Sancti Bonaventuræ 4. Sent. Dist. 17. A. 2. Q. 4. sententia est, confessionem haud requiri ad gratiam justificationis, quum hæc contritionem sequatur. Patronos etiam sibi adsciscunt Joannem Duns Scotum, ac Durandum a S. Portiano, qui Sæculo XIV. celebre Scholasticos inter Doctores nomen sunt adepti. Ille nimirum, quamquam Sacramentalem confessionem juris esse Divini fateatur, inde tamen hujus erui necessitatem negat. 4. Sent. Dist. 17. Q. un. A. 1. Alter, Gulielmo Estio referente, eo propendet, ut confessionem consultam quidem, non præceptam opinetur. Paulo serius, videlicet Sæculo XV. Petrus ab Osma Salmanticensis Doctor cum divinam confessionis institutionem, tum necessitatem esse inficiatus; atque Sæculo insequente sub ipsum reformationis initium Desiderius Erasmus Roterodamus Adnot. ad Ep. S. Hier. ad Ocean. item in Methodo Theolog. confessionem jure divino necessariam esse negavit: incassum ergo vociferantur Catholici, dum opinionem adiaphoram pro sancto nobis dogmate obtrudunt.



Ita quidem heterodoxi : quibus ut ad singula respondeatur, necesse haud est Athenas adire. Primum enim, quod adtinet, cum Nat. Alexandro, Tournelio, aliisque Theologis non diffiteor, fuisse Catholicorum nonnullos, qui a Sæculo IX. usque ad Lombardiætatem, imo usque ad Concilium Lateranense IV. confessionis, ad obtinendam peccatorum veniam Sacerdoti faciendæ, necessitatem inficiabantur. Sed errarunt ii, neque mediocriter sunt hallucinati; nam veritas & una, & constans, & immutabilis est, cui, ut inquit Natalis, præscribere nemo potest, non spatia temporum, non intervalla locorum, non privilegia personarum. Sentio tamen cum Doctore Seraphico loc. cit. injuriosum esse, quisquis ita eo temporum decursu opinantibus notam hæreseos impingit; quia veritas hæc nondum solemnæ Ecclesiæ judicio fuit eliquata: quemadmodum deinde factum fuisse legimus in Conciliis Lateranensi IV., ac Tridentino. Silentio vero prætereundum non est, exiguum admodum exstitisse aberrantium numerum, neque tantum, qui vel eminus cum immensa testium Catholicæ veritatis nube comparari possit, qui nullo non tempore sensum antiquissimæ Traditioni adversantem insectabantur; ipse profecto Lombardus, ut de aliis nihil dicam, errorem adeo crassum sive docentes, sive scripturientes loco cit. repressit. At sciscitor



citor ex Adversariis, probandumne ipsi judicent Chiliastarum paradoxon, quod nuper ab inferis Thomas Burnetius resuscitavit, quod quidam Patres olim fama sanctitatis, ac doctrinae inclyti eidem fuerint adstipulati? Errarunt & hi, sed absque hæresi, priusquam controversia isthæc Ecclesiae judicio dirimeretur. Quid jam ad Gratianum? Estius eum, & Sylvius inconstantiae accusant, Gregorius de Valentia turpiter hallucinatum fuisse putat; Enimvero, subjungit Cl. Antonius Genuensis, *non opus est magnis argumentis, ut demonstramus, Monachum hunc longe fuisse Ecclesiasticorum monumentorum imperitissimum.*, Christ. Theol. Elem. l. 6. c. 12. §. 13 Hæc forte intemperantius dicta; verum sentiant alii, quod volunt; placet mihi Cl. Witalii sententia existimantis, non circa confessionis necessitatem fluctuasse Gratianum, sed circa vim peccatorum expiaticem; nimirum in suspensio hærebat, hæcne contritioni cordis infit ante Sacramentum, an judicio Sacerdotis, an utrique: & istiusmodi quæstio ætate Gratiani inter adiaphoras censebatur; nec ipse eam definivit, licet in priorem fortasse sententiam propensior, quæ tamen cum usu, ac necessitate confessionis non pugnat; quippe nobiles illius ævi Scriptores, ut S. Bernardus, Godefridus Vindocinensis, Theobaldus Stampensis, Robertus Pullus, Hugo, & Richardus a S. Victore,



tore, Petrus five Cellensis, five Blesensis, five Pictaviensis, five Lombardus & caritatis in Sacramento, & confessionis ipsius necessitatem constanter adseruerunt. An Gratianum a recepta descivisse doctrina, aut adeo fuisse hospitem, ut eam ignoraret, imaginemur? Addo, comparationes quasdam ibidem ab eo adferri, ut de Lazaro, de Leprosis, &c. quæ confessionis exercitium, necessitatemque supponunt potius, quam tollant. Canon e Pœnitentiali Theodori desumptus sine vocibus illis: *Ut Græci, fere* cum apud Ivonem c. 155. tum apud Burchardum l. 19. c. 145. legitur; & hæc non minus in ipso Pœnitentiali Theodori, & in Canone 33. Concilii Cabilonensis II. desiderantur. Si tamen recte legit Gratianus, ajo, varietatem illam opinionum circa solam vim peccatorum expiaticem versari, vel si secus, inficias ibit nemo, communem in Ecclesia doctrinam quorundam Græculorum, a vero aberrantium, sensui esse præferendam. Vid. Natalis Alexander Dissert. cit. § 35. & Claudius Frassen. de Confess. T. 1. Disp. 2. A. 3. Sect. 2. Q. 1. qui Gratiani dictum uberius examinarunt. Joannes Teutonicus porro, alias in plerisque lapsus, uti & Michael Bononiensis, obscuri nominis auctor, tanti non sunt, quibus cedere veritas debeat. Neque S. Bonaventura a partibus Hæreticorum stare dignoscitur; enimvero
haud



haud negat ille, sed strenue l. cit. confessionis necessitatem tuetur, non ad habendam quidem justitiam, quum a poenitente contritionem exegerit habituali caritate animatam, sed ideo, ne peccator præceptum Dei violet, atque a justificatione per Sacramenti neglectum excidat. Audi ejus verba e Veneto Exemplari, cujus editionem F. Joannes Balainius Minor Conventualis curavit, & recognovit, transcripta: „ *Dicendum, quod Confessio est instituta sub præcepto . . . Et ideo, quia ab hoc præcepto peccans per susceptionem gratiæ non absolvitur, adhuc confiteri tenetur; & ideo, si non confitetur, cadit a justitia. Sicut enim nullus potest justificari, qui Sacramenta contemnit: sic nullus in justitia perseverat, si post justificationem ex contemptu negligat confiteri: & ideo, si potest confiteri, & non curat, cadit a justitia; quum cadat a proposito confitendi, sine quo justificari non poterat. Concedendum ergo, quod confessio post justificationem est necessaria necessitate præcepti, a qua tamen excusat impossibilitas.* „ Ita S. Bonaventura. 4. Sent. Dist. 17. P. 1. A. 2. Q. 4. Incassum etiam cum Scotum, tum Durandum erroris insimulant; quum uterque; ille quidem l. cit. hic Dist. 7. Q. 9. confessionem a Christo institutam, ac necessariam esse doceat; quamquam Subtilis Doct. necessitatem ejus non e verbis institutionis tantum, quantum e præcepto caritatis deri-



vet, vi cuius remedio peccatorum facillimo, qualis est confessio, uti tenemur. Vid. præter alios Scoti discipulos Bartholomæus Mastrius Q. 16. de Pœn. A. 1. Petri Oxomensis errores primum Alphonsus Carillus Archiepiscopus Toletanus condemnavit, tum Sixtus IV. fulmine Vaticano protrivit; hinc nulla est, quæ ab eo arcessitur, auctoritas. Quem etiam cordatum moveat Erasmus? Grammaticus erat numeris omnibus absolutus, non Philosophus, non Theologus, ut ipse ingenue fatetur, scribens: „ *Si me venditarem pro magno Theologo, aut Philosopho, merito mihi detrahet aliquis Leonis exuvium* „ Epist. ad Albertum Pium Princ. Carpens. Tantis autem ejus volumina scatent mendis, ut inter *Semi-Christianos* relatus sit a Bellarmino, *Murem errantem* Stapletonus adpellarit. Vid. Cl. Graveson. Hist. Eccl. Tom. 7. Colloq. 3. Vadant nunc Sectarii, & in sui heterodogmatis tutelam advocent, quos velint, aut e Patrum Sanctorum choro Doctores, aut e Schola Theologos, ut ignorantæ plebeculæ persuadeant, Confessionem Sacramentalem humanum esse commentum, non Divinum institutum, neque necessitatis, sed utilitatis gratia frequentandum. Habemus Sacras Literas, habemus Patres omnium Sæculorum, habemus perennem Ecclesiæ disciplinam, habemus denique Theologos, quotquot illustrem sibi nominis fa-

famam compararunt, errori novitio non tam infensos, quam pro sententiæ Orthodoxæ veritate firmiter stantes, ut mirari subeat seu incuriam, seu temeritatem, seu pravam potius Novatorum indolem, qui causæ suæ præsidium inde quærunt, unde merito habent, ut graviolem ipsi ruinam pertimescant.



ARTICULUS QUINTUS.

Residuæ Calvinianorum argutiæ diluuntur.

Consensum Ecclesiarum non mediocri firmitatis robur nostro adjicere dogmati, articulo secundo insinuavi; non ferunt id heteroclyta capita, sed ad dissentientium magis Ecclesiarum disciplinam provocant. Quem vos consensum jactatis? inquit; nulla, exiguo Pontificiorum grege excepto, Christiani nominis Ecclesia sive usu, sive doctrina articulum vestrum de clancularia confessione probat; non vastissima Æthiopum, & Abyssinorum Ecclesia; non Armeni, non Syri, non Jacobitæ, quibus abundat Ægyptus, non Græci recentiores, quorum Sacerdotes a confessione abhorrescunt; non demum Ecclesia




Waldensium, Wicleffitarum, Hussitarum, Lutheranorum, Calvinianorum, qui sese fortiter semper huic Romanorum dogmati opposuerunt; unanimes omnium harum Ecclesiarum sensus Papisticum hoc, & novitium commentum satis refutat; novitium, clamat Dallæus; quia proximis tantum Sæculis a tam multis, anterioribus a nullo impugnatum; non impugnatum utique, quia nullum ejus vestigium exstitit. Hæc summa argumenti. Verum dico ego: quis ita non jam ratiocinantes, sed ineptientes ferat? Æthiopum nobis, Syrorum, Jacobitarum Ecclesiæ, doctrina, mores obtruduntur: Ecclesiæ, inquam, quæ Nestorii, quæ Eutychis, quæ aliarum hæresum fuligine nigrescunt. Id Novatoribus incumbit, ut gentes has, quamdiu fides apud eas integra viguit, Sacramentalem Confessionem vel non agnovisse, vel repudiasse ostendant; vereor autem, in magno id Platonis anno demonstrent. Tamen non omnino verum est, quod de nationibus istis, etiam hæresi, ac schismate ab Ecclesiæ Catholicæ gremio divulsis garrunt. Quæ Græcorum fides, superfluum foret ἀνακεφαλαιώσιν texere. Quanti ab Æthiopum, & Abyssinorum populo confessio Sacramentalis æstimetur, ex eo manifestum fit, quod refert Wanslebius Hist. Eccl. Alexand. deprehensum scilicet ab se in Sanctorum vitis æthiopice scriptis, inter cetera pietatis



tatis opera, propter quæ commendantur, non illud esse postremum, quod suas ante obitum maculas ad aurem Sacerdotis expiarint. Inter Nestorianos in Syria orta est cædes, & contentio, quando Simeon Barmamas peccata confitendi morem abolevit, cujus hoc facto vetustas comprobatur. Sed pristina consuetudo, ut jam monui, promoventibus potissimum Sulaka, & Abdiesu postliminio rediit. De Jacobitarum consensu nulla est dubitandi ratio; Sæculo XII. quidem Marcus filius Zarræ, & Joannes filius Abugaleb Patriarchæ Cophtorum eo temeritatis progressi sunt, ut Pœnitentiæ Sacramentum, & Confessionem penitus auferre molirentur; at restitum iis fortiter a Marco filio Elconbari, a fratribus Abnassalis, a Michaelè Antiocheno Jacobitarum Patriarcha, & ab aliis, ut narrant Eusebius Renaudotius. *Hist. Patriarch. Alexand. & Comment. in Liturg. Cophticam S. Basilii.* Certe hodierni Jacobitæ quoad substantiam dogmatis a Catholicis non dissentiunt, imo illos, qui confessionem rejiciunt, Novatorum, seu Hæreticorum censui adnumerant; quamvis ceteroquin tanta apud eos non sit religio figilli, ut illud infringere nefas arbitrentur.

Quæ porro Calviniani de fratribus suis, & universa recentiorum Sectarum colluvie adferunt; ajo, sectas has conventus esse malignan-



nantium, & Synagogam Satanæ, neque mirum proinde, si, quod Christus instituit, & omnis retro vetustas observavit, filii Belial damnanda pervicacia repudiarunt. Dignum nihilominus animadversione, neque Waldenses, sordidum, & abjectum hominum genus, neque Wicleffitas, neque Hussitas Confessionem prorsus abrogasse. Ova quidem ab iis posita, sed quæ Calviniani deinceps excluderunt. Antiqui Waldenses errarunt in eo, quod vellent, absolvendi ministerio omnes, & solos homines probos fungi posse; ceterum eadem apud illos, quæ apud nos, de confessione viguit fides, donec tandem Sæculo XVI. agente Farello apud Genevenses Pseudo-Evangeli ministri, in castra Calvinianorum transivissent. Vid. Illustrissimus Episcopus Bossuet lib. II. Variat. Caspar Juenin Dissert. 6. de Sac. Pœn. Q. 5. c. I. &c. Joannes Wicleff non diffitetur, peccata mortalia Christi Vicario esse confitenda; „ *Oportet, inquit, recipere Sacramentum Penitentiae pro mortalibus abluendis, confitendo non solum Deo, sed & homini in casu. Et quum specialiter confitendum sit Vicario Christi, qui mediat inter Deum, & hominem, ordinarunt posteri confessionem auricularem.* „ In cap. 5. Ep. S. Jac. Hanc ergo solum & ab Ecclesia institutam, & homini debite contrito superfluum, atque inutilem esse contendit, ut videre est in Articulo septimo

timo ex quadraginta quinque a Synodo Constantiensi condemnatis. Ridendi etiam sunt Adversarii, quibuscum nobis conluctatio est, dum in tutando suo errore sibi Patronos adsciscunt Joannem Hufs, ejusque Sectatores; quum nihil certius sit, quam quod hærefiar-cha iste, discors in aliis quidem, in hoc tamen dogmate a Catholicis non discreparit: idem de asseclis ejus dictum esto. Conf. laudatus Meldensium Præsul l. cit. Illustrissimi Episcopi & fratres Petrus, & Adrianus de Wallenburg Tom. 2. pag. 18. Graveson Hist. Eccl. Tom. 6. Colloq. 3. &c. Ipsi Lutherani, nefaria licet dogmata circa Confessionem statuentes, Confessionem penitus non abrogarunt, quemadmodum liquido constat ex eorum fidei formulis Augustana præcipue, & Wittenbergensi. Fallunt igitur, & falluntur Calviniani, dum vel ipsas præcedentium Hæreticorum turbas in sui erroris patrocinium accersunt. Quod deinde argutatur Dallæus, nemicam quidem salis, bonive sensum saporis continet. Quid Ariano Ministellus hic in hunc modum argumentanti reponeret: „*Si Ecclesia primitiva Filium Patri ὁμοούσιον credidisset, Christiani quidam ante Arium dogma istud impugnassent; atqui hoc ante Arium factum non est: ergo primitiva Ecclesia Filium Patri ὁμοούσιον non credidit?* „ næ hunc ceu ineptissimum blateronem, non jam cachinno dignum, sed helle-



helleboro indigentem existimaret? hæc autem ipsa in Dallæum quadrant. Non omnia fidei capita suos e vestigio nacta sunt adversarios, plura hæresibus novissimorum temporum impetenda remanserunt. Jure potiori ego colligo, eam, quam hodie profitemur, de confessione doctrinam, ab Ecclesia vetere agnitam, creditamque fuisse, quum primi adversus eam, si non quoad substantiam, ut memini, quoad modum saltem, Waldenses, & Wicleffitæ calcaneum elevarint; sed eorum heterodogma statim, ut emerfit, protritum ab Ecclesia, dirisque devotum est; atque adeo, quum prius etiam adserta, quam a recentioribus hæreticis negata fuerit confessionis necessitas, pro hac stare veritatem dignoscimus, secundum celebrem illam Tertulliani regulam: „ *Id est Dominicum & verum, quod prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod posterius est immissum.* „ De Præscr. Hæret.

Ad illud argumentandi genus, quod *Negativum* Dialectici adpellant, dilabuntur. Veterum ii monumenta revolvunt; in quibus nullum de Confessarii munere vestigium reperiri, neque Sanctos Ecclesiarum Præsules, Presbyterosve a Confessionali officio commendari; neque confessionem istiusmodi ceteros inter fidelium antiquorum actus religiosos censerij ajunt, ut omnibus iis, manifestum est, qui



qui in Sanctorum Veterum vitis non omnino sunt hospites, & peregrini. Abhorrent ista a recentioris ætatis instituto, dum & Præsulum, atque Presbyterorum confessiones excipientium fatigia, & fidelium peccata confidentium fervor, & sollicitudo celebrantur. Urgent argumentum: Si priscis Christiani nominis temporibus auricularis obtinuisset confessio, eam fideles proculdubio, ut hodie apud Romanenses usuvenit, in morbis gravissimis, in calamitatibus publicis, in procinctu ad prælia, ad peregrinationes, ad navigationes periculo plenas, in mortis articulo fecissent; atqui nusquam in eo discrimine constituti id præstitisse leguntur: signum igitur est, totam retro antiquitatem commentum istud ignorasse.

Ast aërem verberant hæretici, quum positivas, quæ pro Sacramentali Confessione militant, rationes argumentis negantibus convellere satagunt; quippe in eo occurso futilia hæc, & nullius omnino ponderis æstimantur. Aper-tas autem eorum hallucinationes nemo non detegit, si ad ea, quæ supra tetigi, vel eminus adtendat. Pro sacro tribunali sedit Magnus Mediolanensium Antistes, aliique. Sacramentalis item Confessionis excipiendæ munus, & frequens ejus exercitium vel primis nascentis Ecclesiæ Sæculis viguisse, qui non videt
ex



ex iis, quæ de pœnitentialis disciplinæ administratione, de pœnitentium reconciliatione, de eorum ad communionem, & pacem admissione commemorata sunt, cœcus sit, oportet. Quod vero Præsules Ecclesiarum, aut Sacerdotes alii ab officio confessionali non commendentur, mirum sit nemini; quum, qui vitam eorum literis posteritati mandarunt, functionum singularium duntaxat, & insigniorum syllabum texuerint, missis aliis, quæ communia, quæ vulgaria, quæ quotidiana censentur. Porro & religiosos inter fidelium lapsorum actus Confessio Sacramentalis toties memoratur, quoties de pœnitentia publica sermo fit, quum ea hujus regula, & norma exstiterit; quam etiam de illa speciatim differat S. Dionysius Demophilum reprehendens, *Epist. 8.* S. Irenæus mulierum a Marco hæresiarcha viatarum, Eusebius Natalii ad pedes S. Zephyrini, ac Philippi Cæsaris ad aures Babylæ narrantes exomologesin; licet forte postremi hujus facti relatio solidis destituta fundamentis adpareret, si adcuratius ad Criticæ regulas examinaretur. Hæc de lapsis. At inter actus religiosos hominum sanctorum confessio non legitur fuisse celebrata. Verum id quidem, sed meminisse juvat, eos aurea illa Christianismi ætate a sceleribus, confessione Sacramentali necessario expiandis, quam longissime fuisse alienos: mos autem veniales confitendi noxas; quæ



quæ aliis expungi mediis possunt, fortasse nondum invaluerat. Postrema stomachum cordatis movent; quo enim privato spiritu sive Dallæus, sive commilitones ejus didicerunt, neminem priscis illis temporibus, lethalis peccati sibi conscium, quum in dictis periculis versaretur, illud ad aurem Sacerdotis expiassè? ego contrarium sentio; lapsis equidem, gravi correptis morbo, dabatur pax, & quum in præsentissimo exsisterent discrimine, Eucharistia ministrabatur: quoniam ergo ex perpetua Ecclesiæ doctrina confessio iis necessaria fuit, qui lethali sese crimine polluerunt, neque prius ad mensam Domini eisdem adcessus patuit, quam ii suam exomologesi conscientiam emundassent, an hanc ab iis neglectam existimabimus? Absit. Verum, ut quædam ex Historia Ecclesiastica proferam: nosocomiis præfectos fuisse Presbyteros narrat Palladius in vita S. Joan. Chrysof. c. 5. Cur? ut præter alia, Sacramentum etiam reconciliationis ægrotantibus administrarent, tum alias quidem, tum vero maxime, quum de vita periclitarentur. S. Dionysius Alexandriæ Præsul, pestifera lue illam urbem depascente, nonnullos Presbyterorum mortem oppetiisse scribit, dum ægrotos inviserent, & curationem eis in Christo adhiberent. Vid. Euseb. H. E. l. 7. c. 22. Num, ubi opus erat, non excepisse illos poenitentium confessiones arbitraris? per-






pertinet huc Serapionis quondam lapsi exemplum, de quo supra. Neque jam posterioris ætatis disciplinam adduco, circa quam ne minima quidem dubitandi ratio; quum confessionis in articulo mortis necessitas agnita fuerit a Synodo Calcuthensi in Anglia, a Parisiensi VI. a Jona Aurelianensi &c. Vid. Natalis Dissert. cit. §. 25. Christianos milites peccati mortalis reos, illud, priusquam signa conferrent cum hostibus, non fuisse priscis temporibus Sacerdoti confessos, tametsi fortassis istud Historici non referant, nullus mihi persuadebit Calvinianorum; *semper enim reor*; aliud esse, non legi confessionem eorum, de quo non disputo, & aliud, non fuisse confessos, quod e monumentis historicis vix unquam ostendetur. Cetera perhibet Eusebius l. 2. de vita Constantini c. 4. & l. 4. c. 55. Constantinum M. in Bello Liciniano Sacerdotes, & in altero adversus Persas Episcoporum quosdam viæ comites habuisse; crediderim, Sacramentorum, atque adeo Pœnitentiæ quoque indigentibus administrandæ causa, etsi nec alii deessent fines. Per plura non vacat excurrere; sane Sæculis VIII., & IX. exercituum Duces, militesque, priusquam prælium committerent, peccata Sacerdotibus confiteri fuisse solitos, ex iis discimus, quæ scribit Alcuinus, Ep. 46. ad Damcæt. quæ de Arnulpho Rege in Fuldensium annalibus ad An.




895. de Conrado item Rege adversus Hungaros pugnato in Chronico Magdeburgensi, atque de militibus Normannis a Wilhelmo Malmesburiensi l. 9. de Gest. Angl. c. 15. recensentur.

In Ecclesiæ primordiis, pergunt Calviniani, non adstringebantur fideles ad peccatorum confessionem, priusquam ad mensam Eucharisticam adcederent. Nego hoc, pernegoque. Probant illi. Quippe Christiani frequentissime, imo quotidie, & omnes, sacra Synaxi reficiebantur; quis tamen inducatur, ut credat, singulos ante communionem fuisse confessos? ingens enim erat fidelium numerus, & paucissimi Sacerdotes. Magis hoc inde clarescit, quod Sæculis IV. & V. fideles universi (demptis pœnitentibus, & energumenis) sacris interesse consueverint; quibuscunque porro sacris interesse licuit, jus etiam fuit percipiendæ Eucharistiæ; neque ad hoc exigebatur confessio; quum secus non confessi æque, ac publice pœnitentes, & energumeni ex Ecclesia fuissent dimissi. Profecto nulla de eo lex, nulla in communicantes non confessos pœna fuisse decreta legitur; sed suæ quisque conscientiæ relinquebatur, ut sine ullo Sacerdotis arbitrio Eucharistiam sumeret, prout id non uno Patrum hac de re testimonio statuminari posset: neque Synodus ipsa Cabilonen-



lonensis ætate sequiori, anno scilicet 813. celebrata, licet dispositiones omnes, Eucharistiæ præmittendas, Can. 46. adcurate descripserit, confessionem, Sacerdoti faciendam, in earum numero censuit. Hæc omnia majus ab eo robur mutuantur, quod de Novatiano perhibet Eusebius Lib. 6. H. E. c. 43. Schismaticus hic singulos, quibus sacram porrigebat synaxin, ad jurandum coëgit per Corpus, & Sanguinem JESU Christi, quod nunquam, eo deserto, ad Cornelium R. P. essent reversuri; at si confessionis arcanæ disciplina viguisset, hac utique via tremendum illud Sacramentum a fidelibus longe opportunius extorsisset. Quid ad hæc Pontificii? Respondeo, nihil per argutiolas hujusmodi Catholicæ veritati decedere. Simplex, & recta, & sanctissima fuit primorum Christianorum vita: hinc absque confessione, qua opus non habebant, ad mensam Domini accedere poterant; id vero lethali pollutis crimine non licuit, quorum, quum paucissimi tales exstiterint, confessionibus excipiendis paucitas ministrorum omnino sufficiebat. Jus quidem & occulti peccatores, quibus interesse sacris licuit, ad percipiendam Eucharistiam habebant; at jus istud intellige secundum politiam externam, atque disciplinam Ecclesiæ, quæ eos, quod sibi essent incogniti, a sacra mensa non arcebat: jure vero proprie dicto secundum legem Christi, & Ec-
cle-



clesiæ doctrinam illi tantum fruebantur, qui
omnis peccati mortalis erant expertes; gravis-
simi enim sacrilegii semper habuit reos, qui le-
thali quodam scelere inquinati Eucharistiam
sumere adtentassent. Vid. S. Joan. Chrysoft.
Hom. 5. in Ep. ad Ephes. Hujus porro legem
inquiris? legem tulit Christus, quum Pœni-
tentiæ Sacramentum instituit; eam promul-
gavit Paulus, dicens: „ *Probet autem seipsum
homo: & sic de pane illo edat, & de calice bi-
bat; qui enim manducat, & bibit indigne, judi-
cium sibi manducat, & bibit.* „ I. Cor. II. v. 28.
& 29. Et quæ sane pœna major, quam ultio
Divina, sive in altera, sive in hac etiam vita
pertimescenda? cujus non unum exemplum
adducit S. Cyprianus. lib. de lapsu. Nolim
quoque, ut erronee existimet quis, suæ quem-
vis conscientiæ juxta priscam Ecclesiæ con-
suetudinem ita fuisse dimissum, ut, si peccati
sibi lethalis conscius erat, integrum ei fuerit,
expiata per confessionem conscientia, vel non
expiata, facta Sacerdoti exomologesi, vel Deo
tantum per cordis compunctionem exhibita,
ad mensam Eucharisticam advolare: effrœnem
hanc licentiam nunquam non insectati sunt Pa-
tres. Suæ conscientiæ, id est, proprio quis-
que judicio de animæ suæ statu relinquebatur,
adeo, ut, si nullius mortalis delicti se reum
esse comperit, sine confessione Sacerdoti facta,
sacram accipere Eucharistiam potuerit. No-



dum etiam in scirpo quærent Novatores, quum ad Synodum Cabilone celebratam provocant; ea quippe Can. 33. perspicue docet, peccata Deo, & Sacerdoti esse confitenda: nihil igitur officit, quod alio canone confessionis diserte non meminerit, quamquam & in eo per *animæ purificationem* Confessionem oris intellexisse satis dignoscatur. Neque melior illa est, quæ e Novatiani sacrilego ausu petitur, consecutio; Novatianus enim, frontis perfrictæ homo, magis e re sua fore censuit, si fideles palam in tremendæ Eucharistiæ sumptione, quam in secreto *Pœnitentiæ tribunali* ad iurandum illud sibi præstandum impelleret; nam hac agendi ratione terribilius iis, fortiusque vinculum injecit.

Verum enim vero negativis iterum argumentis pugnant. Nullam, inquiunt, Confessores, nullam antiqui Martyres, antequam ad supplicium raptarentur, exomologesin arcanam fecisse leguntur; quam tamen ab iis, qui novissimis temporibus apud barbaras nationes martyrio adfecti sunt, peractam fuisse, Catholicorum annales produnt. Pagani recentiores, ut Indi, ut Sinenses, ut Japones &c. clanculariam hanc Latinorum confessionem sugillant; de ea nihil unquam Ethnici veteres objecisse Christianis notantur; tacuissentne, si cetera inter Christianorum placita, quæ acriter



ter insectabantur, ullum hujus conscientiarum carnificinæ vestigium deprehendissent? Nunc Pontificii in Paschate, in Natali Servatoris, aliisque solemnioribus festis confiteri solent, hæc autem praxis in Ecclesia primitiva nusquam reperitur viguisse, si tota etiam percurratur vetustas. Deinde multa nunc circumferuntur miracula, quæ Sæculis hisce postremis in gratiam confessionis patrata fuisse narrant Romanæ communionis homines, de quibus tamen omnis retro antiquitas conticescit. Præterea testantur Veteris Ecclesiæ pastores, pleraque fidelium, suæ curæ subditorum, peccata sibi penitus fuisse ignota; videatur S. Joannes Chrysostomus lib. 2. de Sacerd. c. 5. & S. Augustinus, qui dicit, adulterinos virorum concubitus per uxores potissimum Sacerdotibus innotuisse. Serm. 6. de verb. Domini. At, si arcana Confessio usu fuisset recepta, tam parum id adseverare Patres potuissent, quam parum Presbyteri Catholici incognita sibi habent eorum crimina, quorum confessiones exceperunt. Denique latebant antiquos Patres multiplices illæ, atque spinosæ de Sacramento Pœnitentiæ, atque de ipsa confessione disputationes, quibus referta sunt spissa Casuistarum volumina, quæ post Sæculum XIII. Orbis Christiani Bibliothecas non tam impleverunt, quam onerarunt, quæ omnia argumento sunt, confessionem auricularem hester-



num esse commentum, & a moribus Veterum prorsus alienum.

Ast neque ratiunculæ hæ quemquam perturbent Catholicorum; elumbes enim sunt, & nullius, ut arbitror ego, roboris existunt. Et primo, quænam fervente persecutionum rabie inter fideles fieri consueverint, jam ex Augustino commemoravi. Confessores, & Martyres immunes erant ab ea peccatorum lue, cui medendæ Pœnitentiæ Sacramentum a JESU Christo institutum fuit. Adde, Martyrium, quum sit perfectæ caritatis opus, baptismatis, adeoque magis Confessionis vires supplevisse. Si recentiores fidei athletæ suas, priusquam paterentur, in sacro tribunali culpas fassi sunt, id pietati potius, & christianæ humilitati, quam necessitati adscribendum censeo. De antiquis Martyribus tamen, qui, aliquando lapsi, resumptis fidei viribus ad certamen redierunt, narrat S. Cyprianus in suis Epistolis, eos exomologesi, apud Sacerdotem facta, pace, & absolutione donatos, Corpus Dominicum accepisse. Quod Calviniani de antiquis Paganis memorant, futile iudico; unde equidem constat, omnia, quæ recentes hi Aristarchi absurda putant, veteribus etiam fidei orthodoxæ impugnantibus talia visa, & ab iis fuisse sigillata? Ipsosne præterea latet *Arcani disciplina*, qua Fideles in Ec-

cle-




clesiæ nascentis initio pleraque Religionis Christianæ capita Paganos, ludibrii, & profanationis evitandæ causa celabant? Quid? quod occasione confessionis privatæ originem duxisse videatur infamis illa calumnia, quam Cultores idolorum fidelibus apud Minutium Felicem impingebant, dicentes: „ *Ipsius antistitis, ac Sacerdotis colunt genitalia, & quasi parentis sui adorant naturam.* „ In Octavio. Reliqua diluamus. Paschalis Confessionis usum viguisse quondam, testis omni exceptione major est S. Jo. Chrysostomus. Hom. 30. in Gen. Quidquid tamen de hoc sit, fideles ob præceptam in Paschate communionem post Conc. Lateranens. IV. vel ad festa Paschalia, vel initio Quadragesimæ confitebantur. Præstitum id ab antiquioribus, quando sese peccati lethalis reos norunt; nisi dicere velis, eos veniales quoque defectus nonnunquam, humilitate impulsos, aut majoris perfectionis amore succensos, Sacramentali exomologesi expunxisse. Ceterum Sæculo VII., ac deinceps mos inolevit, ut fideles in solemnioribus festis Paschatis, Natalis Domini, S. Joannis Baptistæ &c. peccata sua confiterentur; ut ex Egberto Eboracensi in Dial. Chrodegango Metensi Reg. c. 30. Theodulpho Aurelianensi in Capit. c. 36. Reginone Prumiensi l. 1. Coll. Can. c. 288. aliisque colligitur. Ad miracula transeunt; sed velim,



sciant Novatores, non ab iis duntaxat dog-
 matum Catholicorum veritatem pendere, ne-
 que omnia, quæ priscis contingere temporibus,
 prodigia scripta esse. Simplicibus tamen im-
 ponunt, quum, nulla sæculis anterioribus me-
 morari, garrunt. Legant S. Joannem Clima-
 cum Scala Parad. Grad. 4. Ven. Bedam L. 5.
 H. E. c. 14. S. Petrum Damianum Opusc. 34.
 c. 7. Ven. Petrum Cluniacensem, & vitam
 Abbatis melliflui; non unum, sed plura in gra-
 tiam confessionis edita fuisse, deprehendent.
 Ipsos autem oro, ut vel unum, si possunt,
 adferant, quo suum de negata confessionis ne-
 cessitate heterodogma confirmetur: scilicet falsi-
 tati Deus non suffragatur. Sed Ecclesiæ pris-
 cæ pastores dicere consueverant, pleraque sibi
 fidelium, suæ curæ concreditorum, peccata fuisse
 incognita; demus id, multiplici ex capite hoc
 dicere poterant, quin tamen adversariis quid-
 quam ex eo præsidii adcedat. Non dictum
 id ab illis, quasi arcanæ confessionis usus haud
 viguisset; sed quod vel fieri vix potuerit, ut
 omnes (ingens enim erat fidelium copia) uni
 pastori suo confiterentur; vel quod plures
 perversi exomologesin, & pœnitentiam negli-
 gerent; vel si confessi sunt, graviora subdice-
 rent; vel etiam temere, nulla confessione
 præmissa, ad mensam Eucharisticam convola-
 rent. Denique ignota sibi fuisse fidelium pec-
 cata fateri poterant, quod ea per scientiam

publicam haud noſſent; tam parum enim ea tempeſtate, atque nunc, notitia peccatorum, ex arcana confeſſione parta, uti eis in foro exteriori licuit. Conf. S. Joannes Chryſoſtomus. Homil. 24. & 34. Adulteri quidam mœchiæ ſcelus clavibus non ſubjiciebant, falſo ſibi perſuadentes, luxuriam non eſſe mortiferam, & audaci petulantia dicentes: *Peccata carnis non curat Deus*, „ ut narrat S. Auguſtinus l. cit. quare mirum non eſt, furtivos eorum amplexus per uxores potiffimum ad Sacerdotum aures perveniſſe. Demum, quod poſtremo objeçant, parum faceſſit moleſtiæ. Fateor, imenſam illam quæſtionum farraginem, quas ætate ſequiore ſcripturierunt ſic adpellati *Casuiſtæ*, ignotam fuiſſe Patribus. At quo jure inferitur, peregrinam ipsis etiam fuiſſe doctrinam de Sacramentali Confeſſione? legitimus hujus adminiſtrandæ uſus non pendet a jejunis, ab elumbibus Caſuiſtarum lucubrationibus; ſed SS. Scripturarum auctoritatem, antiquorum Canonum institutionem, Patrum eſſata, Eccleſiæ probatam conſuetudinem pro regula habeat, eſt neceſſe. Id, rejectis libellis pœnitentialibus, qui erant veluti rudimenta quædam, & ſtamina Summularum, ſtatuit anno 812. Synodus Cabilonenſis: id Synodus Pariſina VI. confirmavit: id a primis Chriſtiani nominis temporibus obſervatum eſt. Ad hanc normam dirigebantur conſcientiæ; ad hanc methodum



Sacramentum Pœnitentiæ, & confessio exigebatur: procul aberant inania cerebri commenta, frivolæ distinctiones, monstruosæ sententiæ, & fluxæ opiniones, quas deinceps Caramueles, Dianæ, Tamburini, Sporerii, Gobati, La-Croixii, & alii his similes mundo cum non exiguo Christianæ moralis detrimento, atque dedecore propinarunt.

Antiquam rursus Ecclesiæ disciplinam obtrudunt. Tres, ajunt, a Veteribus memorari Pœnitentiæ species; *Ante-Baptismalis* nimirum Catechumenorum; *Quotidianam fidelium*, quam quisque suo faciebat arbitrio; & *Publicam*, eorum scilicet criminum, quæ per Canones designabantur. Nulla harum talis, ad quam auricularis ceterorum peccatorum lethaliū confessio pertineat: hæc igitur non existit. Repono, Veteribus agnitam etiam fuisse *Pœnitentiam clavium*, quæ cum publicam pro canonicis criminibus, tum privatam pro ceteris lethalibus complectebatur; ad hanc clavium pœnitentiam Sacramentalis Confessio spectabat, utrique sive publicæ, sive secretæ pœnitentiæ communis; quippe fideles, ut non semel insinuatum fuit, mortifera quævis flagitia Præpositis Ecclesiæ secreto confiteri tenebantur: horum autem erat judicare, essentne quædam in humilitate publicæ, seu majoris pœnitentiæ expianda, an privata sufficeret.

Vid.



Vid. S. Augustinus. De Fide & Oper. c. 26. At, pergunt Calviniani, publica olim pœnitentia semel functis, iterumque in crimen aliquod canonicum relapsis nullam Patres pœnitentiam, adeoque ne privatam quidem, cujus pars est confessio, admittebant, quin tamen ejusmodi recidivos a spe veniæ exclusissent: itaque nullam ii ad flagitium illud expiandum Confessionis arcanæ necessitatem agnoverunt.

Nihil rursus hoc argumento debilius; a veritate quippe alienum reor; quamquam id non sit hujus loci demonstrare, Sacramentum Pœnitentiæ, & Sacerdotis absolutionem unquam relapsis in obitu fuisse negatam. Si tamen absque confessione morte præventi sunt, non illico Patres de eorum salute desperarunt, posito, quod Pœnitentiæ virtutis officia impleverint. Ast num idcirco necessitatem confessionis inficiati sunt? minime gentium; quemadmodum neque de Baptismi necessitate eo ex capite neganda cogitarunt, quod constans eorum sententia fuerit, Catechumenos, si ante Baptismum fluminis in re susceptum e vivis abirent, per vehemens ejus desiderium salutem consequi. Profecto, ut Baptismi: ita Sacramenti Pœnitentiæ necessitatem nullo non tempore strenue tutati sunt. Si tanta est confessionis necessitas, prosequuntur Sectarii, quantam eam esse Pontificii homines depræ-
di-



dicant, Deus, qui omnia salutis remedia nobis præsto esse voluit, non Sacerdotibus modo, sed & hominibus ceteris, & foeminis ipsis a peccatis absolvendi facultatem, impendente saltem mortis periculo, fuisset impertitus: quemadmodum ita de Baptismo nobis providit; nemo vero Catholicorum id admittit. Recte quidem id a nemine Catholicorum admitti, respondeo; neque enim paritas, neque consecutio valet. Nam Baptismi necessitas ad omnes extenditur, quum omnes oporteat regenerari; confessio peccatorum autem iis duntaxat necessaria est, qui, lapsi post Baptismum, adquisita in eo sanctificante gratia rursus exciderunt. His, quoniam per Baptismi lavacrum emundati, & Ecclesiam ingressi sese Christianæ vitæ præceptis obstrinxere, iis violatis merito ad reconciliationem aditus esse difficilior debet, quam illis, qui, Baptismatis unda nondum renati, Sacramentum peccando non violarunt, secundum illud Augustini, *Qui nondum accipit Baptismum, nondum violavit Sacramentum. Qui autem violavit Sacramentum male, & perditè vivendo. . . . mutet vitam, corrigat se, & reconcilietur, dum vivit, dum sanus est.* „ Homil. 41. ex 50. Quodsi cuivis indiscriminatim absolvendi a peccatis conlata fuisset potestas, immensus esset ministrantium numerus, adeoque & major peccandi li-
cen-



centia, & minor eorum fervor, qui remedio reconciliationis indigerent.

Ad paradoxa tandem deventum est, quæ e Sacramentalis Confessionis exercitio fluere, & e quibus necessitatem ejus elevare contendunt Calviniani, præeunte Dallæo. Statuta semel, inquit, Catholici dogmatis firmitate, homo peccator, etsi emendatissimus, & maxime pœnitens, venia nihilominus caret, ni peccata sua ad aurem Sacerdotis insufurret. Alter econverso, ne contritus quidem, quamquam alias perditissimus flagrio, remissionem criminum obtinet, modo paucula super eum absolutio- nis verba proferantur. Quid autem, si hoc non, a Divina æquitate abhorret? Tum vero ultimum admovent arietem, omnia miscent, turbantque, non solum, ut, quamcunque ponimus, auricularis confessionis necessitatem subruant, sed etiam, ut sanctam hanc Ecclesiæ doctrinam, velut rem execrabilem, dirisque devovendam rudi popello persuadeant. Quo autem pacto id adgrediantur, videamus. Auricularem nostram, seu, ut eorum phrasi utar, clanculariam confessionem in Deum esse contumeliosam clamitant. Superi! eccur? Quia falsum id reddit, quod ille sanctissime spondit, nimirum, sese toties peccatori scelera dimissurum, quoties ille ingemuerit, eumque peccasse ex animo pœnitue-



tuerit. Contemni a nobis non sine aperto diffidentiae indicio Divinum hoc promissum existimant, quum praeterea confessionis jugum fidelium humeris injiciamus. Ecclesiae non minus exitiosam vociferantur; quoniam a poenitentiae Ministris, Monachis praecipue, pravitas opinionum, morumque laxamenta, quae Ecclesiam deturpant, in sacro tribunali promoventur, & incrementum accipiunt. Deinde reipublicae profanae, Principibusque fatalem queruntur; quum ex historicis constare monumentis adserant, conjurationes adversum eos, a Sacerdotibus quibusdam in secreto Confessionis fuisse conflatas, cufas, agitatas, aut vires saltem concepisse. Et nonne, inquit, perniciosum principibus, si tegantur, neque a consociis pessimae in eorum caput machinationes revelentur? hoc autem fieri dicunt per Confessarios, qui nefas esse putant pestilentissima detegere consilia, eaque religioso silentio velant, quae rebelles, quae sicarii, quae parricidae, antequam opus tenebrarum adgrederentur, confitendo in eorum sinum effuderunt. Noxiam ajunt Sacerdotibus, quum ipsorum castitas manifeste periclitetur, sive, dum turpissima audiunt, sive, dum de foeditatibus extremis loqui coguntur, sive, dum vi officii sui putentes in libris quorundam Casuistarum lectitant obscenitates. Pertinet huc sacrilega illa Confessariorum nonnullorum ad
im-



impura sollicitantium libido, de qua Pontificum Bullæ copiose differunt. Demum perniciosam esse dicunt pœnitentibus ipsis; tum, quod eos confessio innumeris obruat dubitationum fluctibus, e. g. num satis omnes conscientiae latebras excusserint: num adcuratum peccatorum lethalium, atque venialium discrimen inierint: num dolorem sufficientem elicerint, & alia hujusmodi, quæ faciunt, ut pœnitentes de venia suorum criminum nusquam certi reddantur; tum etiam, quod conscientiam discutiendo, & peccata enarrando, priorum turpitudinum ipsi memoriam refricent, sensim per frequentem *similium exomologesin* omnem verecundiam exuant, remedium tam obvium videntes, licentius delinquant, neque peccata satis ob Confessariorum oscitantiam detestentur, qui solam fere in sacro tribunali adtritionem a pœnitentibus exigunt; tandem, quod multa perversa, quæ neque norunt antea, neque, ut nossent, expedierat, discant, vel discendi saltem periculo se exponant, quæ a nonnullis abjectæ conscientiae Sacerdotibus in confessionali docentur. Ergo non instituta a JESU Christo, neque ad salutem necessaria est Confessio, tantorum sentina, & radix malorum; sed inventum humanum, res omnino superflua, & exitiosa, de medio tollenda prorsus, & repudianda. Hæc tumultuario quodam impetu Heterodoxi.



Verum, si totum hoc est, quod undique ad subruendam confessionis necessitatem con- gesserunt, omnes eorum conatus in irritum jam cessisse video. Prolixior quidem isthic ratiuncularum complexus generatim uno vel- ut ictu succutitur, quum dico, vitia, si quæ sunt, non esse vitia Confessionis, sed eorum, qui hac abutuntur. Speciatisim tamen singula diluam. Primum paradoxon, quod crepant, ex malo, quem de re Catholica habent, intel- lectu proficiscitur. Peccator, nescio, qua contritione præditus, caret venia, si, quum potest, Sacerdotem non adit, a quo solva- tur; eo enim in casu pessime supponit Dal- læus, ejusque admiratores, emendatissimum eum, & maxime pœnitentem esse, quoniam remedium, ad remissionem peccatorum a Chri- sto institutum, amplecti contemnit. Quod si perfecta contritione ferveat, neque tamen adi- re Sacerdotem possit, veniam consequitur ob adnexum Sacramenti votum, quod in eo do- lore continetur. Porro constanter nego, ad- tritionem, nisi inchoata Dei caritate animetur, ad consequendam in Sacramento Pœnitentiæ Justificationis gratiam satis, & proxime dispo- nere: quamquam & iis, qui contrariæ adsti- pulantur sententiæ, non desit, quo Novato- rum sopiant garrulitatem. Quæ deinde decla- matores isti proferunt, modico adhibito nisu dissipantur. Primo, non Catholici, ut jam dictum



dictum alias, sed Pseudo-reformati summam Christo injuriam irrogant, dum Sacramentalem explodere confessionem adnituntur; ex eorum enim heterodogmate fluit, Christum frustra dedisse claves Ecclesiae; frustra dixisse ad Petrum, ceterosque Apostolos Joan. 20. v. 22. *Quorum remiseritis peccata &c.* Perniciosam Ecclesiae confessionem inclamant; at, quum ita blaterant, insanire mihi videntur. Quomodo perniciofa Ecclesiae, quae membrorum ejus, adeoque & ipsius Ecclesiae sanctitatem promovet? Ecclesiae, inquam, quae nullo non tempore in id solertissime incubuit, ut ministerium istud purissime exerceretur? quae ab hoc tribunali procul abesse vult pravaram opinionum portenta? quae laxas toties fulmine Vaticano contrivit propositiones? quae selectum confessoriorum inculcat Episcopis, quos *Spiritus Sanctus posuit, regere Ecclesiam Dei.* Act. 20. v. 28. Id autem, quod in regularium despectum Haeretici, jurati alioquin Monacho-mastiges, effutiunt, a veritate remotissimum est; quum lippis jam, atque tonsoribus notum sit, universos fere ordines religiosos hydræ Probabilismi bellum indixisse. Paucorum vel imperitia, vel ignavia confessionem Ecclesiae non reddit exitiosam. Conjuratum illarum fabricatio (si quae tamen unquam ausu sacrilego sub confessionis praetextu facta est) non erat vitium confessionis,



sionis, sed hominum improborum ea tam ne-
 farie abutentium. Sed num ideo abolenda
 confessio? Et Baptismo, & Eucharistia, &
 Evangelii prædicatione impii homines ab-
 utuntur; quis tamen de grege Calvinianorum
 ita erit infans, qui ea de causa vel Baptismum,
 vel Eucharistiam, vel Evangelii prædicatio-
 nem exterminandam dicat? Quæ adjecta
 sunt, ad sigilli religionem, neque huc proin-
 de pertinent. Tamen, ut aliqua differam, si
 crimen læsæ majestatis in secreto confessionis
 auditum revelare liceret, atque hæc opinio
 vulgaretur, nihil magis Principum, Rerumque
 publicarum securitati foret consultum; quis
 enim tum vel crimen tam enorme in confes-
 sione aperiret, vel aperire teneretur? Ne-
 que ideo, quod sigilli religio crimen pandi
 vetet, noxia Principibus confessio, aut abo-
 lenda; sæpius equidem, ut experientia docuit,
 malevoli parricidæ a tanto flagitio perpetran-
 do confessionis occasione deterriti sunt. Quis
 enim Confessarius est, qui reum, si crimen
 secreto pandat, a tam nefario scelere judicii
 Divini terrore, absolutivis denegatione, pre-
 cibus, & omni, qua potest, ratione avertere
 sub gravissima æternæ damnationis poena non
 teneatur?

Confessariorum castitatem in discrimen vo-
 cari timent: non periclitatur illa, si Confessa-



rii, foedissima in sacro tribunali audientes referri flagitia, sint, ut esse debent, penitus in Deo defixi, in orationibus assidui, a societate, ac moribus mundanorum hominum, a lenociniis, & pompa saeculi alieni, & mortificationem JESU Christi in corpore, & anima circumferentes. „ *Discunt ii*, adposite, licet in alia causa Cl. Lud. Ant. Muratorius, *medicorum more vulnera, & vitia, quae in aliis sanent, in se non admittant; & dum alienae profunt voluntati, non metuunt suae.* „ de Ingen. Moder. l. I. c. I. Illa si absint, in periculo versantur. Sed quis inde confessionis institutum per se noxium esse Sacerdotibus criminetur? Accidit quandoque, ut nonnulli vel debiles, vel indolis depravatæ homines a lectione S. Scripturae scandalum patiantur, fungum tamen pro cerebro haberet, qui ea de causa SS. Literarum lectionem per se noxiam esse diceret, vel cuivis ab ea penitus abstinendum judicaret. Examen peccatorum luxuriae, quod Confessarius cum poenitentibus nunquam instituendum habet, & prudens, & breve, & castum sit, est necesse; & mendacium idcirco est, cogi Sacerdotes ad inquisitionem earum foeditatum, ad quas castæ aures exhorrescant. Quod quidam Casuistarum libri luto hoc conspersi sint, dolens fateor; malum tamen istud non ex ingenio confessionis, sed ex intemperante quadam scripturien-



di prurigne dimanavit; præterea contendo, non expedire, ut Confessarii prudentes, Deumque timentes in ejusmodi specula Veneris honestos defigant oculos, neque necessarium id esse, quum frui nobis liceat Virorum Clarissimorum labore, qui, quidquid ad dignam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem exigitur, e SS. Literis, e Conciliorum decretis, e SS. Patribus, e primi subsellii Theologis conlegerunt. Stultum porro esset, inventis frugibus, ad glandes reverti. Abominandum illud Sollicitationis flagitium, quod admodum infrequens est, non sacro ministerio, sed sacrilego hominum eo ad perniciem abutentium ausui tribuendum venit. Dum Confessionem pœnitentibus ipsis exitium adferre dicunt, basilice falluntur. Rationes enim ad id probandum adsumptæ prorsus evanidæ sunt. Non proficiscitur ex indole confessionis, ut pœnitens inanibus scrupulis, & anxietatibus opprimatur; nam, posteaquam præstitit, quidquid cum Dei gratia præstare poterat, omnemque *moraliter possibilem* diligentiam adhibuit, in Dei bonitate, & misericordia ei conquiescendum est. Si, quantum homines prudentes in magni momenti negotiis, tantam ille in rimandis conscientiæ latebris curam impendat, sufficit. Discrimen lethales inter, atque veniales noxas, uti & sive Adtritionis, sive Contritionis characteres
vel

vel per sese homo facile perspicit, vel per Ecclesiæ rectores, per magistros, per Divini verbi præcones, per Confessarios edocetur. Porro turpium scelerum in memoriam revocatio pœnitentis animum non polluit, quum salutariter adversus præterita flagitia horrore correptus, atque de iis sincere dolens supponatur. Et quod hic de confessione Sacerdoti facta garrunt hæretici, æquo jure de illa dicitur, quæ soli Deo fit; quia & ad hanc conscientiæ discussio requiritur secundum Davidicum illud: „ *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum; Psal. 76. v. 7. seu rimabar spiritum meum, ut vertunt 70. - ἔσκεπτε τὸ πνευμά μου.* Neque metuendum, ne serio pœnitentes verecundiam sensim exuant, & hoc, cum ob severam Confessariorum correptionem, tum ob gravem flagitiis illis respondentem pœnitentiam, atque ob dilationem, vel negationem absolutionis; ex quo & proxima corrumpitur ratio, etsi hæc adversus Calvinianos longe fortius militet, quum iudicibus ipsis, confessio, quæ soli Deo cordium scrutatori fit, multo sit facilior altera, quæ ad aurem Sacerdotis peragitur. Cetera falso supponunt, doctrinam nostram esse, peccata quævis confessione sola expiari; præter hanc enim & contritionem cordis, & serium per opera ardua, & pœnalia satisfaciendi propositum exigimus. Im-

me-



merito deinde majori Catholicorum parti (quidquid Probabilismo quondam dominante fuerit) systema Adtritionis pure formidolosæ adfingunt; quum revera jam pauci sint, qui eidem adstipulentur, & spes non modica adfulgeat, fore, ut & ipsi ab ea, quæ passim deseritur, opinatione recedant. Postrema tandem ratio elumbis est; perpauci fortasse ita suæ, & alienæ salutis immemores existunt, ut suos perversa pœnitentes doceant; idque demum vitii genus Confessariorum est, non confessionis, quam in remedium, non in venenum animarum *JESUS Christus* Servator noster benignissimus instituit. Itaque a capite ad calcem operam ludunt Calviniani, dum Confessionem Sacramentalem vel a Christo institutam, vel necessariam esse ad salutem mordicus inficiantur. Sed jam de tabula manum.



PROPOSITIONES
DOGMATICÆ

DE

SACRAMENTIS POENITENTIÆ,
EXTREMÆ UNCTIONIS, ORDINIS,
ET MATRIMONII,

QUAS

Labaci in Ædibus D. Virgini in Cœlos
adsumptæ Sacris

Anno æræ vulg. M. DCC. LXXVII.

Mense Augusto die

publicæ Disputationi exposuerunt

V. P. ILDEPHONSUS HAFFNER
Theol. absolutus,

ET R. F. ILLUMINATUS MINATI
Ord. Min. Strict. Observ. Sac. Theol.
in 2. Annum Auditor.

PRÆSIDE

P. F. CASTULO WEIBL,

EJUSDEM ORD. SS. THEOL.
LECTORE.

LABACI, LITERIS EGERIANIS,

PROBATIONES
D. H. CASTRUCIO WIERB...

SACRAMENTIS FORNICATIONIS
BAPTISMAE SACRAMENTIS ORDINIS

Ad hoc in Archiepiscopio Virginis in Colonia
Ad hoc in Archiepiscopio Virginis in Colonia

7. P. H. CASTRUCIO WIERB...
Theol. theol.

BT R. E. ILLUMINATUS MINISTRI
Ordinarius Sicut. Ord. Sicut. Theol.
in e. Archiepiscopio Virginis

PRÆSIDES
P. H. CASTRUCIO WIERB...

PRÆSIDES ORD. Sicut. THEOL.
LECTORES

PRÆSIDES, LECTORES, ORD. Sicut. THEOL.



I.

Poenitentia Christiana veri nominis
est Sacramentum;

II.

Diversum a Baptismo, ejusque
memoria;

III.

A JESU Christo ad expungenda re-
generatorum peccata institutum.

IV.

Horum nullum tam grave est,
quod virtute clavium Ecclesiæ remitti
nequeat.

)(2

V.

V.

Ad hanc remissionem obtinendam tres actus Pœnitentis necessarii sunt, Contritio, Confessio, & Satisfactio.

VI.

Contritio e metu gehennæ concepta bona quidem, & utilis est ad salutem:

VII.

Nondum tamen ad consequendam in Sacramento justificationis gratiam sufficiens, si omni destituta sit caritatis initio.

VIII.

Sacramentalis Confessionis præceptum e jure Divino promanavit.

IX.

In ea necessarium est, ut pœnitens omnia lethalia peccata, quorum post diligentem conscientiae discussionem reminiscitur, singillatim enumeret.

X.

Plerumque dimissa culpa pœnæ temporales luendæ supersunt;

XI.

XI.

Ad has redimendas valent opera
satisfactoria, quæ Sacerdos confessis
imponere potest, ac debet.

XII.

Soli Episcopi, & Presbyteri sunt
Sacramenti pœnitentiæ ministri;

XIII.

Qui formam absolutionis pronun-
ciantes, auctoritate sibi a Christo conla-
ta revera peccata relaxant.

XIV.

Immerito Novatores ex albo Sa-
cramentorum extremam Unctionem ex-
terminant;

XV.

Ministerium ejus non ad seniores
ætate, sed ad Sacerdotes pertinet.

XVI.

Ordinem etiam inter Sacramenta
Novæ Legis connumeramus.

XVII.

XVII.

Episcopi jure Divino tam dignitate, quam auctoritate supra simplices Presbyteros eminent;

XVIII.

Puritani erroris contrarii adsertores incassum in suas partes S. Hieronymum trahunt.

XIX.

Sexus foemineus Sacrae Ordinationis incapax est.

XX.

Matrimonium rem esse licitam, & honestam adversus Marcionitas, Manichæos &c. propugnamus:

XXI.

Operam ludunt Novatores, dum ei veri, propriique Sacramenti rationem abjudicant.

XXII.

Polygamia simultanea virilis turpissimum scelus est, & juri naturæ adversatur.

XXIII.

XXIII.

Etiam Polygamiam simultaneam muliebrem Patribus olim post diluuium licitam, in Lege Nova prorsus esse vitatam contendimus.

XXIV.

Successivam vero, seu secundas, & ulteriores nuptias condemnare neque possumus, neque audemus.

XXV.

Adulterio non solvitur vinculum Matrimonii.

In omnibus honorificetur Deus.

I. Pet. 4. v. 11.



Etiam Polygrammum dimorphum
multiplex et alba et nigra et
hanc, in lege Nova proinde esse
nam continentur.

Succellivum vero, seu secundum
et utriusque purpurea condensa neque
postquam, neque suberunt.

Abolito non solvitur vinculum
Matrimonii.

In cunctis honorificis Dns
L. For. p. p. p. p. p.



